Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Severinus Eugalenus

De Scorbuto Morbo Liber : In Quo Omnia Quae De signis eius diagnosticis dici possunt, tractata continentur, animadversa

Nunc vero ordine meliore ... in lucem productus a D. Josepho Stubendorfio ..., Lipsiae: Lipsiae: Voigt: Lantzenberger, 1604

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn796631115/phys_0001
DFG

Mcl - 3981.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0002
DFG

DE SCORBVTO MORBO LIBER,

IN QVO OMNIA QVAE DE signis eius diagnosticis dici possunt, tractata continentur, animaduersa

à

SEVERINO EVGALENO
DOCCVMANO.

Cui adiunctæ quædam obseruationes sunt, cum breui & succincta cuiusq; curationis indicatione.

Nunc verò ordine meliore & triplici Indice, in lucem productus

à

D. IOSEPHO STVBENDORFIO
MEDICO HALENSI.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

LIPSIÆ
Michaël Lantzenberger excudebat.

ANNO M. DCIIII.
Impensis Bartholomæi Voigt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0005
DFG

ILLVSTRI AC GENEROSO COMITI AC DOMINO: DOMINO LODOVICO GVILIELMO, Comiti Nassouio, Cattimeliboci, Viandorum & Deciorum, Domino in Beilsthein: Frisiæ occiduæ gubernatori, Domino suo clementi, nec non nobilissimis & amplissimis viris DD. ORDINIBVS, Frisiæ occiduæ &c. Dominis suis obseruandis S.

OStendunt Illustris ac Gener. Comes, viriq; nobilissimi & amplissimi D D. ordines, tot præclarissima multorum monumenta, omnibus propemodum seculis extitisse, qui ingenij iudicijq; dexteritate præstantes, artes vtiles, & hominum vitæ necessarias, tractarunt, & ad sui non solùm seculi, sed omnis posteritatis vsum eas accommodarunt: Quòd non ignorarent, absq; hac mutua donorum & ingeniorum omnis temporis communicatione, nemini posse, quantumuis diuitijs aut potentia florenti, vitam hanc vtilem ac suauem esse. Quapropter vt quisq; semper ex maioribus nostris vir melior, aut ingenio maior fuit, hoc magis laborasse videtur, vt vtili aliquo transmisso ad po-

ad posteritatem opere, suum posteris studium propensamq; suam iuuandi res humanas voluntatem testaretur.

Hunc morem, quia omnis laudata posteritas omni tempore approbauit, existimaui mei quoq; officij fore, quæ in medica mea vocatione, & diligenti ægrotantium visitatione, animaduersa mihi hactenus rara sunt, à nemine ante hac satis (quod sciam) pertractata, literis prodere, & in publicum, publicæ vtilitatis ergò proferre. Ideo quòd compertum multorum annorum obseruatione habeam, in huius, quem proponimus, morbi cognitione, sæpe etiam (quod tamen citra arrogantiam, & pace omnium dictum velim) ab exercitatissimis medicinæ artificibus aberrari: eò quòd aliorum morborum mores mentiri, & sub ijs se suumq; virus occultare, huic nostro scorbuto, quantum gallico, proprium sit & peculiare. Vnde consecutum hactenus magna mortalium calamitate est, & multo artis medicæ apud vulgus nostrum contemtu, vt alijs vitam hic morbus præter medicorum spem & expectationem, aliquando subita suffocatione, aliquando verò post longiores cruciatus doloresq; eriperet. Quam nonnullos nunquam pristinæ sanitati restitutos, non rarò sub perpetuo languore, veluti morbo, finire cogit.

Nec verò abs re, præstantissimorum medicorum suffragijs primas in medicina partes semper illa meruit, quæ morborum signa & notas, & hinc profluentes prædictiones prænotionesq; continet ac docet: Ab Hippocrate primùm

literis prodita, & nobis singulari DEI beneficio quasi per manus reseruata, atq; à Galeno doctissimo eius interprete, alijsq; eum secutis modernis medicis, pluribus locis locupletata & adaucta. Quòd ad artis perfectionem & hominum salutem potissimùm hanc artis partem facere, longiore multorumvsu, & ingenijexercitatione compertum ac comprobatum sit.

Cum enim in corporum ac remediorum scientia medici cognitio consistat & versetur, Corpora aût aut ægra sint, aût sana, aut neutra: apparet quantam & quàm vtilem medicinæ partem hæc complectatur. Atq; quàm latus huius sit campus, dum nostris peccatis, peccandiq; licentia, iram DEI prouocare in nos, & sic nouos nostra culpa, iustaq; DEI vindicta, nobis attrahere morbos, non desinimus. Quibus quàm grauiter DEVS optimus maximus irascatur, ostendit (vt alias calamitates huius vitæ taceam) multiplex hodie morborum varietas, quibus alio atq; alio tempore humanum genus DEVS affligit: Quemadmodum id experta superior ætas in morbo Gallico est, qui ante Lusitanorum in nouas insulas nauigationem, quot hominum myriades, & quàm miserè sustulerit, nemo medicorum est qui ignorat. Experta idem posterior ætas in Anglico (vt vocant) sudore est.

Et nos ipsi anno octuagesimo experti sumus in communi ferè toti Christiano orbi morbo, à viso in aëre chasmate primùm accenso, & paucis diebus iam dictum nostrum orbem circumeunte,

eunte, atq; vix vlli parcente, cum catarrhis & labentibus ad fauces ac pectus destillationibus, primùm diaria febre spiritus, & ab his sanguinis massam continua ac putrida, accendente, quibus intra triduum diaria non cessabat. Quæ etsi nihil pestiferæ luis haberet, non paucos tamen asthmaticos, seu pectore alioqui infirmos, & plethoricos, in illa omnium consternatione, consiliorumq; diuersitate, suffocauit & oppressit, sicut propter recentem rei memoriam plus satis notum est. Ne quid de peste dicam, pluribus ab hinc annis passim ferè grassante, & diuina quasi voce hominibus, nisi resipiscant, comminante, quòd eius semina aëre veluti suspensa, huc illuc spargantur, & à nobis visceribusq; nostris, alio atq; alio tempore, admirando DEI consilio, seu iudicio veriùs, attrahantur, attractaq; transmittantur. Vt ab his palàm esse cuilibet possit, nunquam compleri satis hanc artis partem posse, quam diu nouos nostra culpa morbos nobis attrahere nostris peccatis non cessamus.

Conqueritur in historia Asiaticæ fœminæ, & quoq; alibi Galenus, propter sui temporis incontinentiam fieri, quòd noui ac peregrini extarent sui seculi morbi, Hippocrati incogniti, quòd prisca ætas honestis laboribus exercita, otio & voluptatibus minùs indulgeret. Sed iustior nostri seculi querela est, in quo sopitis τοῦ ἡγεμονικῷ καὶ θυμικῷ, τὸ ἐπιθυμητικὸν passim regnat, adeoq; quoq; inter ipsos (quod dolendum) Christianos inualuit, vt cæco, ne dicam stulto hominum iudicio, primas ferè his tribuant, qui

ant, qui maximos calices maximo hauſtu, & vt Græci dicunt ἀμυσί exiccare queunt. Qua de re longa ſubtexi hîc querela poſſet, ſi noſtri inſtituti aut vocationis eſſet, prolixiùs eam perſequi; qui hæc attingere, & ſupremo quaſi digito indicare voluimus, vt oſtenderemus noſtra culpa fieri, quòd huius, quæ morborum differentias docet, medicinæ partis, nulla perfecta & abſoluta dari doctrina poſsit, dum innata peccandi libidine, iuſto DEI iudicio, quotidie morborum numerum cumulamus. Quorum multiplicationi ſufficerēt præſentes temporum calamitates, ne quid his adijcere noſtra culpa & vitio neceſſe eſſet.

Quas ideo prædicere in Euangelio Chriſtum voluiſſe præter cæteras cauſas Theologis cognitas, arbitror, vt hac pia Seruatoris ſui admonitione pij muniti, fortiore animo temporum incommoda perferrent, & magis quieto ac ſecuro, quæ inde corpori aduenium damna, declinarent, futuri ſcilicet, & mox ſequuturi gaudij meditatione. Quandoquidem ſi Hippocrati credimus, non poſſunt abeſſe diu ab eo corpore melācholia morbiq; melancholici, vbi diutius timor & mœſtitia perſeuerant: quòd hæc perpetua huius humoris ſint fomēta. Cuius quoq; ſequax comes, etiam ex aliorum ſententia, eſt ſtomacace. Vnde dubium non eſt, hinc fieri, quòd ſolito frequentior hodie, & pluribus grauioribusq; ſymptomatibus & ſignis, mortales dinexare, latiusq; ſuæ ditionis pomœria extendere ſcorbutus comperiatur. Non enim vliginoſis locis & planis amplius, vt olim includitur, ſed & campeſtria & montoſa transſcendit,

scendit, & ad procul à nobis disitos Germanos, Anglos, & Gallos, eos potissimùm qui ad maris littus habitant, commigrat, vires eundo acquirens, & eò grauius mortales diuexans, quò longiùs alas ac virus suum (vt olim gallicus) expandit & diffundit.

Quapropter celare non potui, & apud me occultare, quæ circa hunc morbum mihi ostendere, meq; longiore vsu & obseruatione cognoscere DEVS voluit, vt hac tenuis huius libelli fortassis præmatura editione, occasionem viris meliore sydere natis, & in omni medicinæ parte exercitatis darem altius huius morbi naturam & causas scrutandi, quò tandem collatis multorum operis (sicut factum in morbo gallico videmus) absolutum quid de hoc morbo constitui ac definiri possit. Quod in hoc morbo eò magis, quàm in gallico necessarium est, quò magis nos attingit, pluribusq; communis, atq; huic nostro climati, quàm Gallicus, plus est familiaris. Siquidem nullus ferè morbus nobis in his regionibus occurrit sceletyrbe frequentior, quiq; fallaci sua specie, qua alios morbos mentitur, nostri temporis medicis imponit. Dubio propemodum argumento, medicos ludificare, an ægrotum diuexare, magis consultò, & quadam quasi destinatione laboret. Vt propterea admiratione digni videantur, qui morbum morbum, scorbutum scorbutum dicunt: Signa verò τεκμήρια, ex quibus cognoscitur, sicut ex vnguibus leo, contemnunt & aspernantur.

Hi si omnia legisse & ruminati esse videri velint,

lint, scire debebant, quæ de gallico morbo scripta ab alijs sunt: hodie vix dum satis, suis differentibus symptomatibus & signis (quæ aliqui supra trecenta, ni fallor, recensent) omnibus vbiq; medicis cognito atq; perspecto. Quo cum paribus ferè passibus certare stomacace videtur, vt symptomatum varietate, & multiplici eorundem differentia, ita quoq; multa eorundem similitudine, qua ægrè, nec nisi à probè exercitato circa vtrunq; medico distinguantur. Neq; id præter rationem, quatenus vna eademq; vtriusq; generationis ratio est. Nam ab ijsdem causis, sed qualitate tantùm differentibus, à quibus nobis scorbutus hic adnascitur, gallicum nobis dictum morbum fieri compertum est ijs, qui nouas & nuper inuentas insulas, sub antarctico polo sitas inhabitant, Adeò, vt sub diametrali cœli linea, & polorum quibus sibi inuicem opponuntur, distantia, mutua communicatione aliquando colludere & virus suum transfundere videri possint. Ita ad amussim quibusdam symptomatibus sibi inuicem respondent. Cuiusmodi sunt, exempli gratia, dolores sub noctem grauiùs infestantes, neruorum contractiones, & varijs corporis partibus expullulantes tumores duri atq; scirrhosi. Quò magis ergo laudandum studium eorum est, qui eandem diligentiam, quam in Gallico enarrando morbo prædecessores nostri posuerunt, huic tribuendam esse propter iam dictas causas contendunt, in quantum publicæ vtilitati studia nostra inseruire debere, omnibus bonis citra controuersiam receptum est.

Attamen

Attamen vt contra istiusmodi sciolos tutus, & honesto quasi præsidio munitus, in hominum manus hic noster libellus veniret, communem scribentium nostri temporis morem secutus, T. Illustri Generositati, Comes & Domine Clementissime, vobisq; D. D. Ordinibus, Dominis meis obseruantiss. eum inscribere volui, vt patriæ meæ, cui omnes obstricti sumus, hoc vocationis meæ officio, pro ingenij mei tenuitate adstitisse, & quicquid in me studij atq; laboris est deuouisse, Vobis Dominis gubernatoribus testatum facerem. Maximè enim conuenire putaui, vt quæ primùm in cunis me vagientem, & flebilem meum in hunc mundum introitum, vitæ nostræ miserias contestantem, exaudiuit & excepit terra, hoc meo qualicunq; studio & labore, functionisq; munere frueretur, & miseriarum, quibus premitur, ex parte subleuaretur, ac recrearetur: indeq; quicquid boni hic liber habet, ad vicinas & finitimas ei terras propagaretur. Quatenus primam laboris nostri partem sibi vendicat patria, proximam vicinitatis iure, proximè contermina terra. Quibus omnibus magis quàm velim & optem, hic morbus familiaris est, cùm propter frigidam & crassam aëris (quod puto) constitutionē, tùm etiam & potissimùm propter aquas patrias crudas, sublimes & subsalsas, quibus plæræq; hæ regiones ferè abundant.

Accipite igitur Domini gubernatores hilari fronte, huius mei opusculi patrocinium, vestra inscriptione ornati, & communis patriæ nostræ saluti inprimis dicati. Quod etsi mole paruum, &

eruditione non instructum est, tamen rei quæ hîc tractatur necessitate ac vtilitate (absit arrogantia dicto) non omnino contemnendum, neq; quorundam de praxi medica conscriptis hodie libellis, (quoad nostrum, sicut rei vsus comprobauit, clima) post habendum. Quod si non displicuisse T. Illust. G. Comes & Domine Clementissime, Tuæq;. Illust. G. assessoribus amplissimis, D. D. Ordinibus. Dominis meis obseruandis, hunc meum libellum intellexero, dabo operam, quemadmodum nunc scorbuti, sic raras quasdam nostras obseruationes apud diuersos collectas, olim in lucem edamus. Perscriptum Embdæ Mense Februario.

Seuerinus Eugalenus
Frisius.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO S.

Æterna laude dignos esse, qui vel ipsi quæ ad vtilitatem in vita communi spectant, invenere: vel inuentis feliciter ornatum, augmentum perfectionemq; adiecerunt, apud omnes in confesso est. Hinc superstitiosa vetustas, gratitudinis ergò etiam diuinos honores Palladi, Ioui, Aesculapio, teste Mornæo & Lactantio, assignauit: pietas verò religiosa, à summo bono, cuncta, quæ generi humano vsui sunt, concessa esse constanter asserit, ad eiusq; solius gloriam, referenda decreuit. Quapropter non nisi diuinitus excitati sunt, qui artem medicam rudem etiamnum & impolitam colligerent, elaborarent, & inutiles sectarum opiniones, tanquam lasciuientis animi ramos ablaqueantes, cultiorem, perfectioremq; redderent. Omnesq; Asclepiadæi, omniumq; temporum ad augustum & sacrosanctum hoc sanitatis & Panaceæ monumentum, amplificandum, ornandum & perficiundum pro virili, quantum ipsis diuinitus concessum fuerat, grauiter suos labores contulere, & adhuc conferunt. Sicutq; omnibus seculis & temporibus, ita nostro hoc crudito, ingens facta est accessio, non tàm subiecti nobilissimi accuratiore indagatione, quàm materiæ medicæ locupletatione. Inter quæ ornamenta instar gemmæ radiantis est Chymia, Pharmaceuticæ pars nobilissima, quæ comitatum herilem conspectiorem reddit. Res, si abusum demas, nunquam satis laudata. Sed etenim

hic

hîc quosdam reperias, qui dum Domina ipsa potiri ob rudiorē non possunt, ancillas sectantur, & earundem fauore aliquo delibuti, in dominam proterui & ferocientes asini invehuntur. Qualis est impostor & sycophanta Erfordiensis Gramman, qui corraso vno vel altero medicamento Chymico, totum medicinæ corpus labefactare & tanquam Herostratus incendio calumniarum & mendaciorum absumere conatur. Sed vani hominis vana gloria abit in fumum: & mendacia authori & patronis istius turpitudinis, dedecori sunt & pœnæ.

Meliore genio & ingenio fruuntur, qui suos labores iudicio eruditorum subijcientes, sibi cognita & perspecta, in communem vtilitatem proximi, & Iehouæ gloriam, proferunt.

Talis certè fuit nostris annis Vir Clarissimus & pientissimus SEVERINVS EVGALENVS FRISIVS, qui peregrinationibus, laboribus & sudoribus sibi obseruata in multis sæculis nondum cogniti morbi curatione, fideliter conscripsit. Nec Medicus est ex commentario, nec affectati styli pompa, conspicuus. Cuius obseruationes, vtinam notiores essent plarisq;, quàm sæpe in opere artis deprahēditur. Eas itaq; cùm propter exemplarium defectum, quæ in vndis perijsse relatum est, & obitum authoris de Republica medica optimè meriti, vix notæ essent, in lucem reuocare visum est, nec dubito multis bonis, qui diu has expetiuere, gratas futuras.

Nihil proinde ex hoc qualicunq; labore vel auri vel auræ capto. Grates potius, quibus hæc grata erunt,

erunt, habebunt, autheri ipsi, deinde CL. D. BALTHASARO BRVNNERO medico celeberrimo, qui sua liberalitate exemplar communicauit, eumq; enixè rogabunt, vt quæ de morbis Mesenterij præ manibus habet, non deponere, sed gnauiter elaborando, ad felicem colophonem perducere velit. Tu vale & fruere.

E Salin. Sax.

Iosephus Stubendorff. D.



INDEX

INDEX MORBORVM QVI HOC libello continentur.

De causis scorbuti fol. 2
De gingiuarum putrefactione 4
De maculis purpureis & nigris 5
De respirationis difficultate 6
De vomitu eiusq; conatu inani 15
De alui fluore & constipatione 20
De mendaci dysenteriæ specie 21
De vrinis scorbuto proprijs 22
De febribus inordinatis & nullo certo typo infestantibus 25
De vario febrium intermittentium genere, tertiana, quotidiana, & quartana, earumq; à veterum intermittentibus differentia 36
De febribus continuis, & quibus signis à veterum continuis distinguantur 50
De facili lipothymia, eiusq; in scorbuto causa 53
De crurum doloribus 55
De suræ crurum tensione & duritie 56
De vario partium corporis membrorum dolore, quo ad morbum gallicum scorbutus alludit 57
De falsa pleuritidis specie & eius dinotione 59
De ventris & intestinorum doloribus, quibus colicum morbum scorbutus mentitur 62
De tumoribus duris & varijs tuberculis, quibus etiam ad Gallicum scorbutus alludit, eorumq; differentia 66
De tali retractione 67
De crurum paralysi, eiusq; à veterum resolutione distin-

distinctione 68
De dimidij lateris resolutione 73
De totius corporis neruosi generis imbecillitate, quæ paulatim fit, & longiore temporis mora 81
Consideratio colicæ passionis, à Paulo Aegineta descriptæ, & quæ eius tempore in brachiorum paralysin, vel comitialem morbum transijt, num eadem fuerit cum illa, quæ apud nos in scorbuto occurrit 82
De totius corporis conuulsione paulatim fiente, & nostris nautis familiari 84
De conuulsiuis motibus, quibus epilepsiam scorbutus mentitur 86
Consideratio num etiam eadem ratione apoplexia ab hoc morbo fieri queat 88
De particulari conuulsione huius vel illius partis 92
De arthritide, eiusq; à veterum arthritide distinctione 97
De hydrope scorbutico 103
De hydropis specie, quam nostrates bongkwater appellant, & certa eius curatione 110
De atrophia quæ à scorbuto fit, eiusq; ab alijs atrophiæ speciebus, quæ veteribus cognitæ fuerunt, distinctione 114
Examinatio atrophiæ huius curationis 120
De vlcere crustoso, ad quod partis mortificatio, & sensus eiusdem (nisi curetur) abolitio sequitur 123
De eiusdem curatione certa ab Hippocrate & Galeno desumpta, & experientia confirmata.
De febribus pestilentialibus, & earundem tumoribus duris & tensiuis, earumq; à vera peste dignotione.
De horum tumorum facili & certa curatione 129
De quibusdam exemplis, quibus ea, quæ de febribus pestilentialibus dicta sunt, confirmantur 134
De phlegmone seu efflorescentia nostris regionibus famili-

familiarissima, quam vernacula nostra lingua de Rooss appellant 138
De delirio & memoriæ læsione 141
De caro & alto sopore 143
De perpetua sputi ab ore defluxione, eiusq; causa & huius ad morbum gallicum allusione 146
De sine causa languore, & quomodo, à scorbuto num fiat, cognoscendus 149
De varia & lamentabili membrorum iactatione cum leui eorundem resolutione coniuncta 153
De tremore 156
De penis exulceratione, qua etiam ad gallicum morbum scorbutus alludit 157
De ulceribus siccis, quibus, vt in gallico morbo, variè corpus à specifica scorbuti putrefactione exulceratur & perforatur, eorumq; curatione 158

QVOD

QVod corporum humanorũ formæ ac temperaturæ pro cœli, aquarũ, alimentorumq; diuersitate varietẽt, primus Hippocrates dixit, libro de aëre, aqua, & locis. Et post ipsum, grauissimus medicinæ testis & author, Galenus Pergamenus. Quibus experientia subscribit, rerum magistra, quæ non minus euidenter idipsum demonstrat, quàm ratio. Nam qui apud diuersas nationes & gentes medicinam fecerunt, intelligunt, pro regionum, sub cœli positu diuerso, situ, alias, aliis in locis, corporum constitutiones ac temperaturas esse, & ab his diuersam quoq; rationem curandi.

Hi etiam ab his causis fieri non ignorant, quòd aliis morbis, aliæ regiones obnoxiæ subditæq; sint. Quos, quia vni genti ac cœli tractui magis propriꝫ sunt & peculiares, Latini indigenas, proprios, & vernaculos morbos appellarunt. Græci verò ἐπιχώρια νοσήματα.

Talis morbus Gallicus iis est, qui nouas & nuper inuentas insulas, Portugaliæ subiectas, inhabitant. Talis Neapolitanis Podagra. Hispaniæ finitimis gulæ bocium est. Alexãdrinis elephas Galeni authoritate.

Nobis verò sub frigida cœli Zona, ad septentrionalis maris littus habitantibus, sceletyrbe & Stomacace Plinio dictus morbus. Qui aliis saucius & vlcerosus venter appellatur. Belgica & vernacula nostra lingua Schoorbuyck. A quo suum scorbutum formasse Latini recentiores videntur. Idq; nomen inditum ei esse ab effectu puto. Siquidem frequenter variis lancinationibus corpus & ventrem, veluti affecto ex cruditate ventriculo, dissecat & discindit. Quemadmodum hunc eius effectum nuper admodũ in tribus obseruauimus: vno proxineta Anglo, & duabus praeterea puerperis: ab his ventris distensionibus, lancinationibusq; grauissimè diuexatis, adeò vt vni ruptum ab ijs peritoneum fuerit. De quibus etiam latius fortè inter obseruationes dicetur.

DE CAVSIS SCORBVTI.

ORigo huius mali esse putatur, cùm ab aëre crasso, frigido, & humido: tùm vel maximè ab aquis frigidis, crudis, & subsalsis, quibus toto hoc maritimo tractu ferè vtimur omnes. Quibus si crassa & nautica victus ratio accedat, & cum hac tristitia diuturnior, vel cõsuetæ euacuationis, mensium scilicet, hæmorrhoidum, aut alui quoque, suppressio vehementior, plurimum ad huius morbi generationem momenti habere, vsus docet.

Nam quos cum crassiore victus ratione diuturnior mœstitia exercuit, de his ægrotantibus constanter semper prædicere ausus fui, eos à scorbuto morbo vel

bo vel solo, vel aliis permixto teneri. Neq; ab his deceptum me fuisse scio, quin coniecturam ac σοχασμόν meum comprobarit fœlix curationis euentus. Quod quoq; ita esse experientur, qui post me animum ad hanc rem adijcere volent.

Cæterum ex hoc loco mihi incidit, quod hic rectè moneri puto. Scilicet in morborum συμβολῇ & concursu, cum quibus scorbutus noster miscetur, nullum integrè curari, nisi hunc vnà cures, aut medicamentis iuncto morbo præscriptis, vnũ vel plura misceas, quæ hunc morbum respicere, & peculiarem erga eum vim & proprietatẽ habere, credantur. Quemadmodum haud dubiè notum iis est, qui in huius morbi curatione leuiter saltem sunt exercitati.

Interna huius morbi causa, melancholici humoris exuberantia censetur, ex iam dicta vitæ victusq; ratione acquisita. Qui circa Lienem & Epar, vel in intermedijs inter hæc & ventriculum spacijs, vel in ipsis etiam venis, quod puto coaceruatus, propriam, & huic morbo familiarem corruptionis formã subit, qua adiacentia, vicinaq; viscera, sua vel substantia & contactu, vel qualitate & fumis deprauat, naturalem eorum temperiem corrumpendo, donec in contagij communionem consentiant, & ad receptam semel infectionis labem, alimenta superingesta commutent vitientq;, similem corruptionis formam eis imprimendo.

Nam quemadmodũ à tenuibus & aqueis humoribus corrumpi alimenta in hydrope, atq; à specifica

ea & propria cuiq; corruptionis forma in Elephantiasi, lepra, morbo Gallico, & malo mortuo videmus: Ita etiam in hoc nostro fieri verisimile est, & rationi consentaneum. Vnde fit vt alimenta pluribus suis partibus ad nutriendũ indispositis, paucis incrementis ad morbosæ causæ materiã accedant, donec tandem ab hac prægrauatis naturæ viribus, ea affectione corpus afficiatur, ad quam sua sponte magis pronum est & procliue. Nam vt aliis morbis alia corpora magis obnoxia sunt, ita in aliis aliæ partes imbecilliores sunt, atq; ad recipiendam causam noxiam paratiores. Vnde ab vna eademq; causa, sæpe variæ morborum differentiæ existunt, tantùm propter corporum diuersitatem, ac diuersam eorum dispositionem variantes.

DE GINGIVARVM PVTREFACTIONE.

QVibus natura robustior, morbosæ causæ prævalet, in iis insita vi & virtute, quàm lõgissimè malum à se natura protrudit, partim in pedes, partim in gingiuas morbi causam deponẽs. Nã quod tenue & calidũ est, tenuib. halitibus permixtũ, sursum ad gingiuas fertur: quæ concepta hac putredine intumescunt, mollescunt, exulcerantur, & fœtent, quibusdam fœtidis suis partibus à dentibus abscedentes. Quod autem crassum, terreum, & graue est, ad crura decumbit, cutem horum primùm subnigris maculis paruis, mox verò maioribus, purpureis, & sublu-

subliuidũ, ad violæ purpureæ florem efflorescentibus, defœdans. Quæ, si malum peius fiat, sæpe in totas tibias vnica macula nigra diffunduntur, tetra & aspectũ horrenda, cum tumore ad elephantiasim accedente. Sicut euenisse cœcæ, & præpingui fœminæ ad porticum Hamburgensem meminimus.

DE MACVLIS PVRPVREIS ET NIGRIS.

ALiquando etiam sed rarius, ex melancholici humoris superassatione, carcinomatis seu crustosi vlceris instar, nigra macula cum vel sine pustula se offert. Quæ erosa cute & carne, in vlcus fœtidũ degenerat, ægrè cicatricem ducens, malignum ac gangrænosum. Adeò vt sensu abolito, quorundam sic laborantium crura, ferrum immissum non sentiant. Quam affectionem primùm in viro nobili Ducis Ottonis Domini mei clementissimi hospitij magistro, vidi. Quando non satis adhuc perspecta mihi tum huius curatio, tum quoque morbi species erat. Et postea in altero sene, in altera maxilla, ab hoc malo correpto. Sicut latius de his inter obseruationes dicemus.

Graue hoc malum est, & calamitatis plenum, nisi rectè curetur, mihi nunc sexies, si rectè memini, visum. In duobus senibus, Itemq; in nauta, vno puello, & duabus puellis.

Caterum quia dictis signis, quæ in gingiuis ac

cruribus efflorescunt, lippis & tonsoribus hodie his morbus notus est, nolo diutius his immorari.

Errant tamen qui dentium ex alueolorum laxitate vacillationem, (gingiuis ab acribus & salsis destillationibus erosis consumptisq;) huius morbi accidens esse putant. Cum in laxitate, quæ ex scorbuto est, gingiuæ non consumptæ, neq; erosæ, sed tumidæ, non strictæ, sed molles & laxæ conspiciantur, plærunq; vt dixi, fœtidæ, & quibusdam fœtidis partibus à dentibus abscedentes. Nam quemadmodum fermentum panem, sic hi vapores putridi in tenerã gingiuarum carnem recepti admißiq;, eas, vt acetum in terram effusum, eleuant & attollunt.

Verùm quia hæc oculis subijciuntur, & in sensus incurrunt, præterea cuilibet ex vulgo ab euentu curationis, & multo experimento notißima sunt & perspecta, nihil necesse est, longiore orationis contextu legentis animum hic remorari. Quamobrem ad alia, & minus nota huius morbi signa, non minus tamen atq; prædicta apodictica, transibimus. Fit enim non rarò, vt prius hic morbus occidat, quàm dictis illis in gingiuis ac cruribus efflorescentibus signis, se prodat & ostendat: Ideò alia considerare signa ac notas oportet, ex quibus affectio, nùm adsit, cognoscatur.

DE DIFFICILI RESPIRATIONE.

INter qua primum & præcipuum locum, respirationis

tionis difficultas tenet, de qua primo loco hîc dicemus, cùm frequens sit huius morbi symptoma & graue, quo infinuti, propter morbi ignorantiam, sæpè præter medicorum spem & expectationem, deliquio ac syncope pereunt.

Sed quia omnibus thoracis affectionibus hoc accidens commune est, diligenti distinctione opus est, quò respirationis difficultatem, scorbuti comitem, ab ea, quæ thoracis morbos sequitur, discernamus. Atqui cum ea quæ à locis affectis sumitur indicatio, cæteris firmior ac certior sit, primùm quomodo huius, id est loci affecti ratione, à thoracis morbis scorbutum, & hunc comitantem respirationis difficultatem distinguere oporteat, ostendemus. Quod difficile non erit. Ideò quòd à scorbuto difficulter spirantes, nihil circa thoracem conquerantur; sed locum affectum vbi grauamen sentiunt, & cuius causa cum difficultate respirare coguntur, sub diaphragmate ad ventriculi regionem monstrent, vbi eius orificium situm esse Anatomici, & præter hos ocularis inspectio demonstrat.

Vnde non rarò etiam in hoc morbo (sicut in reliquis fieri ventriculi cruditatibus solet) flatus in vtrunq; latus, nec non anteriorem ac posteriorem corporis regionem diffunduntur, ventriculi affectionem mentientes. Ibi ergo premi se & coangustari testantur, quò minus liberè spirent. Quòd si grauius malum fiat, adeò videmus premi diaphragma (quod puto) & per consequens affici cor, vt inter decum-

bendum, eorum aliqui nonnunquam lipothymias minentur, quandoq; etiam subitò extinguantur.

Vidi quibus à vaporibus sursum ab inferioribus ascendentibus, oculi per interualla obscurarentur & caligarent, ne quem præsentium agnoscerent, cum tanta respirationis angustia, vt animã agere omnibus adstantibus viderentur, quando meritò pulsus videri parum potuit & inæqualis. Id quod præter alios, statera tributarij filiæ cueniſſe, nobiscum alij viderunt.

Secunda differentia, qua à thoracis morbis distinguitur, ab ægrotantis sumitur sensu. Nam qui hac difficultate respirationis laborant, magis de angustia, quã nostrate lingua Banghe dicimus, quàm respirationis molestia, conqueruntur, Quòd semper cum hac spirandi difficultate angustia ad præcordia coniungatur, quæ plùs ægrum grauat, quàm respirationis difficultas; vt pote cuius sequax comes hæc est, ab eadem (vt videtur) dependens. Quare ægrotantes à sensu mali sui magnitudinem metientes, de tollenda angustia magis, quàm respirationis mitigatione, apud medicum instant, obnixè eum rogantes, vt in ea remouenda tollendaq; intendere omnes suas cogitationes velit. Quippe qui grauamen suum melius ipsi percipiunt, & malũ qua parte vrget rectius sentiunt, & intelligunt, quàm adstantium quispiam.

Tertia differentia sumi à respirationis intermissione, seu eius remissione potest. Quamdiu enim natura

tura robustior morbo reluctatur, neq; eadem vehementia, neq; semper tam dicta anguſtia infeſtat, ſed quibuſdam quaſi vicibus res geritur; vt ceſſante, vel de ſuo vigore potiùs priore anguſtia remittente, morbus exiguas inducias naturæ concedere videatur, quam paulò pòſt (natura interim ſe recolligente, & quaſi ad pugnam rurſum ſe inſtaurante) aliæ excipit, priori ſimilis, in qua frequenter, mirè breuis fieri reſpiratio ſolet, ſicut ſub ſecunda differentia, de tributarij filia oſtendimus. Quæ quibuſdam ſubinde adeò grauis recurrit, vt animam redditurі ſtatim eſſe tales videantur. Id quod etiam ſub debili natura, & robuſtiore morbo non rarò fit.

Quòd ſi robuſtior natura fuerit, iterum reluctatur, eaſdem, quas prius, inducias paciſcens, pro vehementia ac ſæuitia morbi, aut renitentis naturæ robore & debilitate, modò longiores, modò breuiores. Atque hoc ſigno non difficile eſt reſpirationis difficultatem ſcorbutum comitantem, ab ea diſtinguere, quæ ad thoracis morbos ſequitur.

Cum enim proprium thoracis hoc opus ſit, debet eo affecto, actio non intercidi, ſed continuari. Quatenus vnanimi medicorum conſenſu receptum ſit, affectus, qui primariò actionem læduni (Græci ἰδιοπαθῆ vocant) neceſſariò partem affectam, vnde actio procedit, ad morbi ſolutionem vno eodemq; modo ſemper afficere. Creſcente tamen ſub debili natura morbo, nihil à ratione alienum eſt, à forti & robuſta cauſa, naturam debilem eodem modo &

continuò affici posse. Quo in casu, quin de compressione sub diaphragmate, eiusq; anxietate conquesturi tales sint, nulli dubium esse debet. Siquidem cum morbi augmento ac decremento, neq; locum affectum, neque morbi speciem mutari, vel ex hac Dialecticorum regula constat, qua species distare negantur, quæ gradibus inter se distant. Notum enim illud Aristotelicum est: τὰ τῷ μᾶζον τι καὶ ἧττον διαφέροντα ἀλλήλων εἶδος οὐ μεταβάλλειν, id est, quæ ipso maius ac minus inter se differunt, speciem non mutare.

Quarta differentia & vltima qua dignoscuntur, fuerit, quòd cum hac, quæ scorbutum comitatur, respirationis difficultate, nihil eorum propriè sequatur, quæ consequi ad thoracis morbos necessariò solent. Cuiusmodi sunt, exempli gratia, tussis, sibilus, stertor, dolor pungens, orthopnœa & his similia alia thoracis affectionibus propria. Vt ab his vel primo triduo, vel potius primo, si mauis, die, à thoracis morbis dignosci hæc respirationis difficultas possit & debeat.

Atq; hæc dicta nobis hactenus de illa respirationis angustia ac difficultate sint, quæ decumbentibus sauiente morbo fit: Sed quòd à mitiore morbo, tanquam ab imbecilliore causa, minùs sæuos minusq; vehementes affectus edi oporteat, vt naturæ, sic rationi consentaneum est.

Quando etiam sæpè longior mora damnosa, iuxta illud Ouidij, fuit:

Vidi

Vidi ego, quod fuerat primò sanabile vulnus,
Dilatum, longæ damna tulisse moræ.

Quamobrem in his etiam tempestiuius hunc morbum agnouisse proderit, quò prius curetur, quàm ingraueſcat, & naturæ vires demoliatur. Quod etiam sæpè, & inprimis nobis respirationis alteratio præstabit, & in nonnullis quoq; liuidus faciei color, in iis potissimùm, qui crasso & melancholico abundant sanguine, aut temperamento magis sanguineo gaudent. In his si morbus hic subsit, post leuem motum (extra manifestam viscerũ obstructionem) eum demonstrabunt, cùm difficilior respiratio, tùm labra genæq; subfusco ac lurido colore præter consuetudinem, citraq; ambientis aëris frigus conspicuæ.

In quibus si maior accedat ad hos humores putrefactio, etiam quiescentibus, hæc liuiditas in facie conspicitur, quemadmodum in Marescalco, vidua, aliisq; nonnullis id obseruauimus. In quibus citræ alia indicia nobis hunc morbum liuiditas hæc manifestabat. Etsi certiore nota eum pulsus proderet, huic morbo familiaris, & vt plurimùm paruus & inæqualis. Et paulò pòst tacitis incrementis assurgente & moram diutius trahente morbo, continuus ægrotantium languor, seu crurum grauitas, aut torpidus eorundem sensus, vel dolor partium quarundam acutus.

Sin cholericum ægrotantis temperamentũ fuerit, incertum indicium esse solet, quod à faciei colore sumitur, nisi quòd cineritius eius color, & insuetus

pallor,

pallor, circa hunc morbum diutius exercitatis, eum leuiore argumento declarauerit. Attamen quia fallax hoc indicium est & incertum, atque huic morbo cum aliis aliquando commune, vtile quoq; hic fuerit respirationis qualitatem considerare, & diligenter super thoracis morbis inquirere, circa quem si respirandi difficultate laborans, nihil incommodi se sentire confiteatur, & locum grauaminis sub diaphragmate, ad ventriculi regionem mõstret, vbi eius orificium situm est, non alienum à ratione fuerit, ad hunc morbum cogitationes suas dirigere.

De quo, vt certiores reddamur, anteactæ vitæ victusq; rationem considerare, & circa animi affectus, quomodo se habuerit, interrogare oportet. Quæ si huic morbo consentiant, porrò pulsum & vrinam examinabimus, tales ne sint, quales huic morbo familiares esse posteà dicemus. Cum quibus, si præterea crurum debilitas, aut suræ crurum dolor, & durities, vel molestæ plantæ pedum punctiones, & sine manifesto morbo languor, concurrant, notiora habes, quibus tutò acquiescere possis.

Aliquod etiam huius morbi argumentum habet, si assumpto cathartico (sicut plærunq; fit) æger difficilius spiret, & reddita postridie vrinæ, diuersarum partium ac dispares apparuerint. Siquidem, quia crassa ferè, & visceribus infarcta huius morbi materia est, ex Hippocratis consilio necesse prius est, eandem ante subductionẽ attenuari, alioqui cathartico mota & cõturbata hæc materia cruda & non

concocta, varias anxietates physica ratione pariet, quæ non vnius neq; eiusdem substantiæ cum sit, sed ex variis humoribus permixta, quasdam suas partes medicaminis facultate commotas agitatasq; & serosi humoris deductione ad renes & vesicã delatas, tales ostendet, quales humores sunt, à quibus resecantur, eorundem colorem & speciem, & cum hac, morbi naturam repræsentantes.

Et quamuis cum viscerum inflammationibus hoc ipsi commune sit, attamen præter alia signa, morbi vehementia facilè ab iis distinguitur, vt nulla nostra admonitione ea res indigeat. Hi etiam, si à medicamentis huic morbo accõmodatis meliùs habeant, nihil est quod præterea dubitandum quis censeat.

Conuenit autem in hac respirationis difficultate, vt in omni scorbuto, inprimis nostra qualicunq; obseruatione, cochleariæ succus.

Et quia plerunq; cum hac febris & obstructiones subinde graues cõcurrunt, iis quæ ad hunc morbum vsus inuenit, miscere oportet, quæ febrem contemperant, & obstructiones reserant & tollunt. Cuiusmodi huic casui seruientia sunt cuscuta, ceterach, carduus benedictus, absinthium romanum, fumaria, betonica, & his similia alia.

Quibus si non satis curatio procedat (vt fieri in iis solet, qui cum grauiore respirandi difficultate, & frequentibus hisce angustiis, diutius vrinas absque manifesta vel multa siti crassas & rubras reddunt, crasso, rubro, & furfuraceo excremento & vario

subsi-

subsidentibus) prædictis, felici nostro experimento, aliquid de Plirisarchontici speciebus, aut similibus addimus. Quibus statim hunc morbum obedire nouimus, subsidentiis rubris, postridie in album colorem commutatis.

Qua ratione nisi curentur, plurimi horum ab hac respirationis difficultate tandem suffocantur: vel si natura fortior diutius morbi violentiæ reluctetur & resistat, plæruncq; in hydropem tales incidere solent, à quo nihilo magis ab hac respirationis difficultate alleuantur, etsi quiescente materia, & superata atq; deuicta magis natura, mitiores paroxysmi fiant. Alioqui fieri vix posset, vt aliquandiu vitam tales protraherent producerentq;.

Multos quoq; suffocatos ab hac respirationis in hoc hydrope vidi, eosq; potissimùm, qui catharticis sæpiùs ac fortius mouerentur.

Quòd si cum his vrinis infestans sitis & calor adfuerit, ex medendi methodo notum est, prædictis ea miscenda esse, quæ cum leui incidendi attenuandiq; facultate, febrem mitigant & sitim extinguunt; habita semper cùm aëris in quo viuitur, tùm cibi & victus ratione, quo per vitæ cursum ægrotantes vsi sunt.

Nam quòd in frigido, crasso, & humido aëre attenuantibus magisq; incidentibus medicamentis vti conueniat, etiam ab vniuersali medendi methodo, & rerum magistro vsu erudimur. Quod etiam nostra qualicunq; experientia contestari possumus, vt

pote

pote qui hisce præteritis annis in iisdem morbis experti sumus, aliam Hamburgi, aliam Leouerdiæ in Frisia, aliam Embdæ curandi rationem esse. Sicus haud dubiè alius in Zelandia, & Enchusano oppido curationis modus est, alius in montosis & campestribus locis.

Quod propterea admonere hîc volui, vt qui post nos medicinam iis in locis sunt facturi, sciant quomodo ab his curatio sit varianda, ne si non satis ab vno atq; altero simplici, huic morbo accommodato, hunc curationis euentum experiantur, tlico curationem hanc damnent, sed eam intendendam, iuxta hanc regulam & normam esse sciant, donec ad optatum finem demum perueniant.

Sed quia hæc cognitio à methodica doctrina (vt dixi) dependet, eaq; omnibus suis partibus non satis explicari hîc potest, partim quoq; ab vsu & experientia addiscenda est, nobis satis fuit, viam quandam aliis præmonstrasse, quam tutò sequi possint, qui post nos medicinam hisce in locis sunt facturi. Nam cùm omnibus locis & corporibus, exactè accommodari hæc quantitas nequeat, necesse est, cuiusq; iudicio eã relinqui, quo duce, non difficile est, ab hac via inuenire, quemadmodum pro varia humorum mixtura, & temperamentorum ac cœli diuersitate, ea cuiq; sit administranda. Atq; hæc dicta nobis hactenus de respirationis difficultate sint, scorbuti comite.

DE VOMITV EIVSQVE CONATV INANI.

Fit

Fit autem, idque non rarò, quòd cum hac respirationis angustia, & quoque absq; ea, varij vomitus, eiusdemq; conatus nonnullos infestent; & quandoque graues sursum & deorsum eruptiones, (sicut in cholera morbo) contingant, quibus nihil æger alleuetur, sed quæ potius pluribus ventris intestinorumq; lancinationibus ægrotum, post longioris temporis interuallum conficiunt, vtcunq; stomachicis, & ventriculum confortantibus medicamentis ita affectus adiuuetur.

Quamobrem diligenti distinctione opus est, qua vomitum scorbuto proprium, ab eo qui ventriculi vitio, vel alias fit, distinguamus. Quod fiet primùm, si communibus medicamentis, ventriculo, & huic symptomati à veteribus præscriptis, nihil nos proficere, sed contrà, ægrum in peius delabi, quotidie conspiciamus. Præterea, si subitò subinde, & præter rationem vomitum hunc intermittere, atq; rursum de improuiso eum recurrere animaduertamus: vel illũ corripi absq; vlla cognita veteribus affectione cernamus, qui prius de sensibili ventriculi grauitate doloréue, vel vlla eius intemperie morbóue, ad quem sequi hic vomitus solet, nihil est conquestus; & si manis magis adsit vomendi conatus, quàm quòd quippiam eo dignum educatur.

In his verisimilius est à scorbuto, quàm propria ventriculi affectione, hunc vomendi conatum excitari.

Nam si in his regionibus, præter rationem subitò, atque

atq; de improuiso quempiam, ab hoc vomitu corripi contingat, qui de ventriculo nihil prius conqueſtus ſit, & quemlibet cibum duriſſimum facilè concoxerit, eumq; auidiùs comederit, abſque vllo manifeſto ventriculi, & adiacentium viſcerum morbo, vnde ſequi phyſica ratione debebat, in his ſemper ſuſpectũ hunc morbum habere oportet; maximè ſi nauticis cibis ſemper vſus fuerit, vel quæ conſueta corporis euacuatio, videlicet in mulieribus menſes, in viris hæmorrhoides, vel ſimilis ſubſtiterit: aut quis obtuſus crurum dolor & grauitas, quam facilè explicare æger non poſſit, ſentiatur.

Quibus ſi auctarij loco, vrina craſſa & rubra accedat, quæ craſſo ſedimento rubro, aut ſubfuſco & furfuraceo in matulæ fundum ſubſidat, ſuaq; ſubſtantia ſuperiore ſupra ſedimenta eminente, craſſa nihilominus viſitur, & conturbata, certum habes, & indubitatum huius morbi argumentum, in quo tutò acquieſcere poſſis. Siquidem pleriſq; omnibus ab hoc ſymptomate ægrotantibus, cum his vrinis, quantum memoria mecũ repetere poſſum, morbum hunc aduenisſe memini. Talis enim vrina pharmacopœi Hamburgenſis fuit. Talis mercatoris Auguſtani Embdæ decumbentis. Talis ruſtici, & aliorum quos ab hac affectione correptos fuiſſe ſcio, paucis exceptis, in quibus morbi ſpecies, & pulſus paruus & æqualis, abſq; alterius morbi, ad quem ſequitur, ſignificatione, obuio indicio ſceletyrben huius ſymptomatis cauſam, facilè prodiderunt.

Neq; infidum signum est, quod procedente morbo, eoq; diutius moram trahente, à languore sumitur, eo quòd in morbi mora, & diuturniore eius progressu, omnes hac affectione laborantes, magis languere, quàm ægrotare appareant, lento morbo quodammodo tabescentes.

Postremò non contemnendum huius morbi indicium & ab oblatis sumitur. Quod à sceletyrbe vomentes, à lacte & lacticiniis (à quibus in ventriculi & viscerum affectionibus manifestè læduntur) sæpe melius habeant, quàm ab omnibus corroborantibus medicamentis, prolixè ventriculo ab artis authoribus præscriptis. Ideò quòd adstrictionis facultate, qua plærunq; prædita hæc sunt, materiam circa præcordia constringendo, altiusq; imprimendo, magis sic affectos illa lædant, quàm iuuent. Quæ quia crassa & frigida est, dilui postulat & incidi.

Cuius causa ab experietia prodesse inuenta sunt, quæ cum attenuatoria, & incisoria facultate succulenta sunt, & modicè calefacientia. Qualia exempli gratia becabunga, cochlearia, trifolium aquaticum, & nasturtium vtrunq; sunt. Quibus in febribus ardentioribus, magisq; infesta siti, iungi acetosa, eiusq; succus potest. Atq; in viscerum obstructionibus cum hoc malo concurrentibus, fumaria, cuscuta, ceterach, vel si fortiorib. opus fuerit, carduus benedictus, absinthium romanum, chamæmelum, betonicæ & his similia alia: vel si pituitosi humoris pluscu-lum, temperamenti ac victus ratione abundare animad-

animaduerto; enulæ campanæ radicum, & hyssopi summitatum aliquid, iam dictis admiscere consueui, semper curationē humorum mixtorū, iunctorumq; morborum dirigendo, vt ea potißimùm eligantur, & iunctis morbis, & humoribus peccantibus præscribantur, quæ propriam quandam & peculiarem erga hunc morbum vim & proprietatem habent.

A purgantibus verò tàm diu abstinere oportet, donec concocti subactiq; humores, ac mitigata febris fuerit. Quando lenioribus id attentare expedit, Quòd validas purgationes, & largam sanguinis missionem, ægrè hic morbus ferat.

Sub frigido cœlo, & aëris constitutione frigida & humida, pillulis rectiùs, quàm potionibus aluus mouetur, Ex quibus, reliquis in hoc casu præstant, pillulæ hieræ simplicis, de hiera cum agarico, alephangimæ, de fumaria, eaq; vel simplices vel mixtæ pro varia corporum constitutione, & diuersa humorum purgandorum mixtura.

Si calidius cœlum, aërq; in quo ager decumbit siccior & subtilior fuerit, licet & potiones, & electuaria conuenientia, pituitam ac melancholiam trahentia, propinare, vel pro vt hunc vel illum humorem magis abundare, peritus medicus dijudicabit, de quibus quia vniuersali methodo docemur, nihil necesse est, diutius hic immorari, quæ apud alios rectiùs ac meliùs leguntur.

DE ALVI FLVORE ET CONSTIPATIONE.

Postulat nunc ordinis ratio, quædam etiam de deiectionibus dicamus, hunc morbum comitantibus, Quas à diarrhœa & lienteria sequentibus hisce notis non difficulter distinxeris.

Quòd in lienteria cibus ferè crudus, & qualis ingestus est, aut vt primùm ingestus est, descendat, quale nihil in scorbuto apparet, vt propterea facilis eius ab hac deiectione lienterica sit distinctio. In diarrhœa sæpè à cerebro, sæpè à vicinis remotisq; ventriculi locis, ad eum humores confluunt liquidi, copiosi, & varij coloris.

Contrà, quæ scorbuti ratione excretiones contingunt, frequentius compactæ sunt, sed copia ingestum cibum excedentes, coloris varij, aliquando herbacei, nonnunquam cineritij coloris: Aut si victus ægrotantis errore, aut propter humidiorem corporis constitutionem, liquidiores quandoq; hæ excretiones occurrant, plurimùm tamen ab iis differre, tùm quantitate, tùm excretionis modo deprehendentur, quæ in diarrhœa descendunt, neq; pari quantitate, neq; æquè confertim, atq; in hac exeuntes: ne quid de nocturnis atq; diurnis excretionibus dicam, nullũ manifestum discrimẽ in hisce nostris profluuiis constituentibus, cùm in diarrhœa frequentiora illa interdiu esse solent, vt in viscerum obstructionibus sub vesperam & noctu.

Causam frequentioris huius deiectionis fortè referen-

ferendam quis, in impeditam Epatis transumptionem censeat, vt parcioris humidi in affluxus parsimoniam. Cùm enim viscerum facultates hic morbus labefactet, credibile est à debilitata attractricis Epatis facultate, suctionem illius, venarumq; præpedivi, & per consequens alimenti transumptionem ac digestionem, sicuti argumento, corporis extenuatio est. Vt huius rei causa fortè frequentiores alui deiectiones sint, magis verò compactæ, propter aliqualem viscerum actionem: nisi aliunde humores propter aliorum morborum concurrentiam ad intestina confluant, & vel diarrhœa, vel similis morbus huic misceatur, qui propriis suis signis discerni debet. Siquidem etiam extra hunc morbum, plures misceri contingit, qui singuli suis pathognomonicis signis distinguuntur.

DE MENDACI DYSENTERIA.

QVibus sanguis crassus & feculentus in venis abundat, iis venæ in intestinis desinentes, sæpenumero sanguinis aliquid cùm his deiectionibus effundunt, excrementis non permixtum, sed ab his separatum, atque absq; omni lancinatione descendens, manifesta à dysenteria differentia. His in initio sanguinis quid mittere cõducit, maximè si menses aut hæmorrhoides substiterint. Alui profluuium adstringentibus medicamentis curari non debet, sed iis, quæ erga hunc morbum proprietatem habent,

atq; per consequens mali causam præcidunt. Quæ curationis via nos nuper quatuor ab hoc profluuio curauimus: vnum rusticum annos sex plus minùs ab hoc profluuio infestatum, & alterum Anglum, tertium infantem, quartum, nautæ cõiugem, penè Empirici cuiusdam consilio, ad orci fauces deductam.

Nam prior curatio veteribus in alui profluuiis vsitata, adeò hac affectione laborantibus inconueniens est, vt summas angustias sic affecti (certissimo huius morbi argumento) & aliquando extremam respirationis difficultatem incurrant, præsenti deliquij ac suffocationis periculo. Ideò, quòd materiam circa præcordia constringendo, & venas constipando, putrefactionem illa adaugeat, & fortiùs materiam in viscera impingat, quæ crassa cum sit, dilui (vt dixi) & incidi postulat.

Itaq; aucta putrefactione ab hac constipatione, necesse est vapores fumosq; ab ea collectos cumulari, qui sursum petentes, cor & præcordia vehementiùs infestant, iam dicta symptomata inducentes, vel his peiora, si cerebrũ petant. Quare tutissima curationis via est, quam demõstrauimus, Quæ pro morbi diuturnitate, & varia corporum constitutione, variè mutari debet, sicut ab vniuersali medendi methodo docemur. Neq; enim eadem curatio omnibus conuenit, non magis atq; omnibus pedibus vnus calceus.

DE VRINIS.

MAgnam quoque, ad monstrandum in his deiectioni-

ctionibus, morbum scorbutum, præeminentiã, pulsus & vrina habent. De quibus pauca quædam hoc loco tractationis consequentia inuitati dicemus, quantũ ad hoc institutum sufficere putabimus, & præsenti operi necessarium. Quandoquidem citra alia indicia, non semel ad morbi cognitionem nos sola vrina deduxit, sicut etiam fatebuntur, qui mecum animum ad harum rerum considerationem, adiycere volent.

Sunt autem vrinæ eorum, qui ab hoc morbo ægrotant, variæ, pro temperamentorum ægrotantium diuersitate, & varia humorum putrescentium, morbiq; natura.

Nam si leuior putredo & morbi initium sit, vrinæ quandoq; citrinæ & tenues, quandoq; crassæ & albæ visuntur, quales reddi in omni cruditate solent. Ex quibus nihil certi de hoc morbo constitui potest, Crescente verò putrefactione & morbo, nonnunquam tenues & rubræ intensæ rubedinis, sed ad fuscum declinantis apparent, Similes ijs (nisi quòd obscurè liuescant) quæ in ardentibus febribus reddantur. Cum quibus si nulla aut nullius momenti sitis, putrefactionis, quas vrina habet, notis non correspondens, coniuncta fuerit, certissimũ huius morbi; sicut non semel experti sumus, indicium habet; maximè si obambulantibus, & omnia vitæ munia sine offensione administrantibus, tales reddantur.

Noui qui curationem illius negligentes, ac differentes, post aliquot menses in dimidij lateris resolutionem inciderint.

Frequenter crassæ vrinæ apparent & rubræ, manifesta liuiditate insignes, & nonnunquam saturatæ rubedinis, sed crassæ, quæ aut tales permanent, aut crasso, rubro, & graui sedimento in matulæ fundũ, furfurum ceu arenularum instar subsident. In quarum plerisq; præter dicta sedimenta, multa cruda & pituitosa excrementa, superiori & eminenti suprà residentias substantiæ appensa adhærent, eidem neq; permixta, neq; integrè tamen separata, sed appendentia potius, vel ad eandem quasi suspensa, totam vrinæ massam superiorem turbidam & crassam reddentia. Quibus si feruentis aquæ vel ignis calore, priorem quam redditæ habebant, formam restituas, videbis semper colorem eas monstrare, ex fusco rubescentem. Qui magis minusq; rubescens erit, pro sedimentorum rubescentium copia ac paucitate.

Tales quoq; certum, apodictticum, ac indubitatum huius morbi signum habent, si pro putrefactionis notis, quas vrina ostendit, sitis modica aut nulla (quemadmodum fieri plerunq; solet) ægrotum offendat: Si nullius febris typum morbus ostendat, Si totius corporis languor, aut lenta febris ægrotum detineat, atque is paulatim citra causam veteribus proditam contabescat, sicut fieri perseuerante morbo solet.

Aliquibus vrina in hoc morbo crassa, alba, & turbida est, quæ statim postquam reddita est, conturbatur, pluribus sæpe corporibus rotundis & albis, arenu-

arenularum instar subsidens, à quibus nihilo clarior illa fit, sed turbida perseuerat, superiori sua substantia crassa & pingui, matulæ parietibus sæpe adhærens.

Talis etiam non infidum huius morbi indicium habet, quod curationis experimento magis postea cognoscitur, si à catharticis non claresçat sed turbidior fiat, vel æquè turbida perseueret, si nullis concoquentibus, & incidentibus pituitosos humores medicamentis illa obediat, vt vel quicquã ab ijs claresçat & immutetur, aut ab ijsdem æger alleuetur.

Præterea si tales absq; vllo manifesti seu veteribus cogniti morbi indicio fiant & reddantur, atq; æger languere magis, quàm ægrotare videatur, & pulsus huic morbo familiaris occurrat, paruus & inæqualis.

Memini quoq; cum his vrinis, omnibus ferè oris siccitatem molestam fuisse, super lenta febre constantem: & perseuerante diutius, ægri negligentia, aut curantis insciti, morbo, tandem omnibus obtusum crurum aliarumq; partium dolorem subortum fuisse, non infido huius morbi signo, sicut latius de eo, suo loco dicemus.

Aliorum vrinæ intemperantiùs victitantium, crassæ visæ sunt, nigræ, & turbidæ, quæ vel sic permanebant, vel turbido & nigro sedimento in fundum subsidebant. Quæ aliis nigræ redditæ sunt, cum obscura albedine ex crudo nigroq; humore quasi contemperatæ, ac si multo nigro, albi partem ad-

miſcueris, vt ex obſcuro palleſcat. Familiaris hæc vrina ijs eſt, qui negligentius viuunt, & curis anguntur, quantùm noſtra qualicunq; obſeruatione animaduertere hactenus potuimus. Id quod non obſcurè vrinæ ſubſtantia teſtatur, ex melancholici, pituitoſiq; humoris permixtione, colorata, peccantis humoris qualitatem, manifeſto indicio vitæ rationi reſpondentem, demonſtrans.

His plærunq; ſitis grauior adeſt, cum multo & ℥ moleſto caloris ſenſu, atq; infeſta linguæ ariditate; niſi quòd adnatam, & huic morbo peculiarem inæqualitatem, paruitatemq;, pulſus oſtendat.

Ex quo primùm in animum mihi inducere auſus fui, cum ſcorbuto quoq; hoc malum communicare, vel potiùs ab eo (ſi mauis) excitari, quandoquidem, cum eius curatione reliqua ſymptomata concidunt & collabuntur, ſicut non ſemel mihi curatio monſtrauit, & pluribus à nobis infrà inter obſeruationes dicetur.

Vſu tamẽ, præmonſtrãte ratione, deprehendi, propter crudorum humorum permixtionem, & grauem eorundem putrefactionẽ, quem caloris ſenſus æſtusq; commonſtrant, ijs quæ propriè ad hunc morbum faciunt, miſcendum aliquid eſſe, crudos humores quod concoquat, calorem contemperet, humoremq; melancholicum digerat, extenuet, & incidat. A vehementius calefacientibus verò tamdiu abſtinere neceſſe eſt, donec febris ſublata, aut ſaltem mitigata fuerit. Quibus ſi non ſatis curatio procedat, ſemper à

mitiori-

mitioribus paulatim ad fortiora assurgere oportet, donec ad eum medicaminis gradum perueniamus, qui morbum eiusq; causam demoliri sit potens.

Sunt autem ex scorbuticis medicamentis, quæ huic casui seruiunt, inprimis acetosa & Becabunga, quibus permisceri temperatè calida, & humorem melancholicum incidentia ac digerentia possunt, cuscuta scilicet, ceterach, trichomanes, polypodij quercuum radices, capillus Veneris, bugloſſa: Et pro crudorum humorum concoctione ac incisione hyssopus & betonica, vt pro delenda mitigandaq; febre, febriliq; calore, cichorium, Enduia & id genus alia, aliquali semper incidendi attenuandiq; facultate adornata.

Quibus si non satis morbus obediat, deuenire ad carduum benedictum, absinthium, & fumariam oportet, eorum quantitatem eousq; intendendo, donec optatum in his finem & effectum consequaris.

Quòd autem cibus refrigerans his conueniat, & dari oporteat, atq; à vino & fortiori cereuisia eos arceri necesse sit, ex veterum & recentiorum medicorum scriptis placitisq; magis notum est, quàm vt hoc loco illud admoneri debeat. Conuenunt autem sic affectis ex cereuisiis nobis vsitatis, Bremensis tenuis, Luneburgensis, Brunsuicensis, Anglicana tenuis, & Embecensis, quæ æstate nō infimas inter has laudes meretur, eò quòd cæteris tenuior, plus situm sedet, & plerisq; ægris magis grata sit, ab Andernaco doctissimo ac celeberrimo nostri temporis medico,

dico, etiam pestis ardoribus commendata, dialogis suis, quos de peste tres elegantissimos simul & doctissimos edidit.

Cum his vrinis plerisq; omnibus sitis, & oris labiorumq; siccitas molesta est, quæ tamen aliis mitior est, aliis intensior, ijs verò vt plurimum infestissima, qui nigras & turbidas reddunt, sed quæ modica liquidi assumptione semper facilè placatur, etsi non ita multò pòst eadem, ob oris labiorumq; siccitatem, humectandi os & labia necessitas recurrat.

Rarò tamen putrefactionis notis, quas vrina demonstrat, potus quantitas ac desiderium respondet, Sæpè etiam horum nonnulli, qui has vrinas reddunt, largiore potu offenduntur. Vnde etiam non contemnendum capi huius morbi indicium potest.

In quorum enim vrinis maiora putrefactionis indicia insunt, quàm foris ex calore & siti apparet, morbo lento existente, & ad nullius veteribus cognitæ febris typum accedente, de his certò tecum statuere potes ac debes, à scorbuto tales detineri.

Id quod curatio monstrabit, si conuenientibus, & huic morbo accommodatis medicamentis, eam tentare non pigebit. Videbis enim hac curationis ratione breui & in paucis diebus (nisi inueteratus sit morbus) tales sanari, & ad pristinam valetudinem reduci, quos nulla medicina prius potuit subleuare, cadentibus indies magis magisq; ægrotantis viribus.

Ratio fortè huius vrinæ, parcioris q; sitis fuerit, quòd humor melancholicus, materialis huius morbi causa

causa iudicatus, putrefactus & accensus, suæ quidem putrefactionis notas in vrina edat, sæpè ardentibus febribus pares, aut non multùm dissimiles, sed quia crassus, idemq; frigidus & terreus est, neq; facilè (vt viridia ligna) accenditur, neq; accensus, perinde atq; cæteri humores, vrit. Cuius causa, etsi labiorum oris q; siccitatem facere potens sit, non tamẽ idem semper adferre bibendi desiderium, aut similem inquietudinem solet, atq; febris continua & ardens: vt pote quæ fumosis suis vaporibus magis, quàm igneo calore cor ferit.

Quò sit vt quamuis crebrum, paruum tamen vt plurimùm, & inæqualem pulsum faciat, non dissimilem illi, qui in febrium accessionibus sentitur.

Quo nomine aliquando etiam doctissimis in medicina viris hic pulsus imposuit, ob huius paruitatẽ, febrem magno curationis errore, & ægrotantis periculo contemnentibus, vel non agnoscentibus, sicut maximi medici exemplo ostendere possem, nisi aliorum famæ & existimationi nos consulere, Christiana charitas iuberet. Et quotus quisq; est, qui non aliquando dormitet & hallucinetur?

Putaui tamen veritatis studio id hîc admonendum esse, vt hac admonitione ad curationem instructiores, ijs medicamentis, quæ crassam huius morbi, in qua residet, causam materialem attenuant & incidunt, quædam miscenda esse sciremus, quæ cum eadem facultate, leuiter refrigerant.

DE

DE FEBRIBVS INORDINATIS.

SVnt autem febres, quæ cùm his vrinis nobis offeruntur, aut lentæ & continuæ, aut interpolatæ & intermittentes, sed quæ nullo sæpe signo veterum febribus assimulantur, nisi quòd falsò quotidianæ, tertianæ, ac quartanæ febris typo ludant, easq; dierũ imitatione potiùs, quàm signorum proprietate exprimant & referant. Frequenter etiam nullo ordine inuadunt, & quandoq; quotidie bis, aliquando ter quatérue, etiã post tertium sæpe, quartũ, quintum, & sextum diem, variis horripilationibus & inordinatis ægrotum infestant, nullo aut nullius momenti calore sæpe comitatis. Quin etiam æstuantem calorem subsecutum has horripilationes fuisse obseruaui, sed cum multa ad præcordia anxietate coniunctum non infido huius morbi, vt antea dixi signo. His circa febris vigorem pulsus aliquando esse magnus ac durus solet, qui circa declinationem rursum suo se indicio prodit, natiuam & huic morbo propriam paruitatem inæqualitatemq; retinens & ostentans.

Sed & sex, ac septem horas, ab his horripilationibus, & frigoris sensu, detineri quosdam vidi, priusquam febrilis calor accenderetur, vel ad exteriora illorum spiritus & sanguis diffunderentur, qui suo reditu, ab interioribus multo & molesto æstu corporis extrema afficiebant, cum multa siti, & molestia linguæ labiorumq; ariditate. Quibusdam sensus fit, atq; si frigida intus ad spinalem medullã ipsis affunderetur.

deretur. Vnum noui retrò ad dorsum calido sensu, & in anteriore corporis parte, frigido affectum fuisse. Sed & hunc etiã, alijs quotidie semel ac sæpius, alijs post secundum & tertium diem reuersum fuisse, memini, nullo aut perquam exiguo comitatum calore.

Paucos cum his vrinis vehementiore corripi rigore vidi, & ab hoc alios grauissimo calore, alios leui, & nonnullos nullo pene infestari.

Quos autem calor & sitis magis excruciarunt, his omnibus cum anxietate per interualla recurrente, id aduenisse, nostra qualicunq; obseruatione animaduersum est.

In quibus præter hanc anxietatem, si non in initio, & morbi vigore, febrem hanc pulsus ostenderit, saltem in paroxysmi declinatione manifesto indicio sua paruitate ac inæqualitate eam iudicabit. Sicut latius postea de hoc pulsu dicemus, vbi ad eum locum oratio nostra peruenerit. Plurimùm enim momenti in his diligens pulsuum obseruatio habet. Quod reliquorum symptomatum, propter varias & diuersas corporum constitutiones ac temperaturas, facilis sit permutatio, quæ tamen si diligenter attendas, ferè vnus pulsus notioni subiacent, quatenus ab vna eademq; causa, ea proficiscuntur & emanant.

In his omnibus cum propter multiplicem symptomatum varietatẽ raritatemq;, causam subesse raram, & veteribus incogitam, considerarem: post varias habitas mecum deliberationes, & diligentẽ pulsuum vrinarumq; examinationem, tandem scorbuto adscri-

adscribendam inueni, coniecturã meam ac εὐχαριστὸν de his, comprobante felici curationis euentu. Quem similem deprehendent, qui post me animum adhæc adÿcere, & idem mecum explorare non recusabunt.

Adhuc leuissimas putrefactionis notas, cum huius morbi significatione habent vrinæ tenues & citrinæ, sub obscura fuscedine liuiditateq; conspicuæ. Atq; hæc dicta nobis de iis vrinis sint, quæ cum scorbuti morbi demonstratione putrefactionis notas, & per consequens febrilis caloris indicia ostendunt; ideoq; cum ÿs quæ hunc morbum curant, quandoq; admixtionem eorum medicaminum postulant & requirunt, quæ calorem contemperant & febrem extinguunt, pro febris modo ac magnitudine maiore minoréue quantitate; sic tamen vt quantum fieri potest, aliquali aperiendi ac incidendi facultate ea prædita & adornata sint.

Postulat verò nunc ordinis ratio, de iis vrinis dicamus, quæ citra febris ac putrefactionis humorum indicia hunc morbum ostendunt. Cuiusmodi inprimis vrina alba, crassa, & turbida est, in cuius fundum plura pauciora q; corpora subsidunt, alba, rotunda, cineritia, crassa & grauia, arenulis maioribus, ac fractæ polentæ non dissimilia, quæ nisi fortiore matulæ motu, vrinæ substantiæ rursum non permiscentur, nec à matulæ fundo eleuantur, quasi semimortua, & instar puris, caloris natiui spirituumq; vacua.

Hæ etiam indubitatum huius morbi argumentum habent; vt semper absens (absit arrogantia dicto) hunc morbum ex his pronunciare ausus fuerim. Memini plærorumq́, qui has vrinas redderent, crura ab hoc morbo resoluta fuisse. De qua re an certum quid hæ vrinæ attestentur, non satis confirmare ausim.

At certò scorbutum eas demonstrare, plurimis experimentis mihi constat. Quod sic esse deprehendent, quibus his terũe hæ visæ, & probata super his curatio fuerit, quæ reipsa comprobat, quod ratio inuenit. Talis fuit vrina bubulci, nautæ, mercatoris Dresdensis, sicut latius de his inter obseruationes dicemus. Quibus crura simul ab hoc morbo resoluta fuere, curatiq́, ab his medicamentis, quidam eorum in quinq́, ac sex diebus sunt, alij etiam in paucioribus, & nonnulli in duabus plus minus hebdomadis.

Quorundam hoc morbo laborantium vrina tenuis & spicea visitur, & sæpe seri instar pallescens, qualis reddi in viscerum obstructionibus, ac ventriculi cruditate solet. Ex quibus nullum certum capi potest huius morbi argumentum, quantum mea qualicunq́ obseruatione animaduertere hactenus quiui.

Tres noui, quibus cum hac vrina continuus vomitus molestus erat, in quibus crassæ & rubræ præcesserant, sicut ab amicis & domesticis edoctus sum: Quod fieri maximè solet, quando diuturniore morbi mora expultrix facultas afflicta, languet, aut altiores morbus egerit radices, vel quoties natura debilis morbi materiam non aggreditur. Cognoscitur autem cu-

rationis experimento. Nam exhibitis quæ huic morbo seruiunt medicamentis, obseruabis postridie, vel saltem post biduum, ab his, ex tenuibus crassas factas eas esse, cum similibus sedimentis rubris & crassis, manifesto huius morbi, sicut iam dixi argumento.

Proinde cum his vrinis semper inquirere debemus, quales in morbi principio vrinæ vel eius apparuerint progressu, si notiora certioraq; de hoc morbo cognoscere cupiamus. Ex quibus si nulla certa noticia haberi potest, amplius considerabimus, num quis morbus, cuius ratione sequi eum veteres dixerunt, subsit. Item num quem post motum vel aliàs, sub præcordijs sentiat respirationis angustiam, aut quem obtusum crurum dolorem. Vel num quandoq; scorbuto laborauerit, ex quo non satis fuerit restitutus, vel quouis alio symptomate huic morbo proprio, exempli gratia, arthriticis doloribus, variè locum affectum, & præter rationem commutantibus, aut simili.

Quorum si quid æger confiteatur, habes euidens huius morbi signum. Si neget, maioris certitudinis ergò amplius ægrotum percunctor (licet enim nobis eadem sæpius rogare, quandoquidem vt rectè celeberrimus noſtri temporis medicus Guilielmus Rondeletius monet, mercatores non piget, pecuniæ calculum ter quaterue repetere) quo victu sit vsus, & quibus potissimum delectatus sit cibis, num aduersa tulerit & quo animo, num prius boni habitus fuerit, nunc verò præter rationem & sine manifesto morbo contabuerit.

Si

Si nec illud, num quid in corpore subsiterit, quod purgari solet. Quibus in locis commoretur, campestribus, an vliginosis & planis. Quis situs loci istius ad mare septentrionale. Quæ ratio ibidem aquarum.

Ex quibus si leuibus tantùm coniecturis sententiam meam de scorbuto confirmari animaduertam: Atq; æger interea nullo morbo manifesto veteribus cognito laborare videatur; conuenienti huic morbo medicamento semel atq; iterum eum exploro.

A quo si ex tenuibus & spiceis vrinis, commutari eas in crassas & subrubras ac turbidas conspicias, crasso, rubro ac graui sedimento subsidentes, habes curationis benè institutæ indicium non leue. Quòd vrina hæc latentem prius, quiescentemq; morbi causam, medicamentum hoc commouisse, & naturæ directione aggressum esse commonstrat, indicans quâ cœpimus via, pergendum esse, donec à natura morbi causa, medicaminis interuentione, concocta ac separata, expulsioni obediat obtemperetq;.

Hanc vrinarum ab his medicamentis permutationem, intrà biduum subsecutam fuisse, in duobus Stadensis vrbis senatoribus obseruaui, qui diu antè cum hoc morbo fuerant conflictati, alijs atq; alijs symptomatibus subindè infestati.

Eandem quoq; nuper Embdæ consideraui, in vno caupone, & altero nauta. Quorum alter, caupo scilicet, supra sex menses domi claudus ab hoc morbo desederat, præter vnius cruris paralysin, summis quoq; crurũ doloribus diuexatus. Pro quibus varias chirur-

gorum vnctiones expertus frustra fuerat, indies in deterius proficiens.

Sed & ægri sensus si melius habeat, monere nos debet, incœpta semel curatione pergendum esse. Siquidem certissimum est, quod ab eo sumitur indicium, & dignum, quod in omni curatione animaduertatur. Vnde & Hippocratem argumentari aphorismorum sectione secunda non piguit. Nihil enim tam est pernicioſum ac malum, quàm ab vno, ad aliud medicaminis genus, facilè, & sine causa transire. Aut leuiter ab ijs recedere, à quibus melius se sentire æger testatur.

Quamobrem fugiendum vel maximè illud medicorum genus est, quod quotidie, quoties ægros inuisit, nouas ac diuersas medicaminum compositiones ægris præscribit.

Sed de his, quia præter nostrum institutum sunt, hæc sufficiant. Itaq; vnde oratio digressa est, reuertentes, porrò ostendemus, æquè ab his vrinis, sicut & à pulsu, morbiq; natura & moribus, quasdam nostras febres intermittentes, tertianæ, quotidianæ, ac quartanæ febris typo ludentes, à veterum febribus discerni & distingui, atq; prædictas, quæ nullo ordine ægrotantes, vt dixi, infestant.

DE FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS.

COntingit enim non rarò apud nos quibusdam febribus intermittentibus, & quotidiè, tertio, ac quar-

ac quarto die recurrentibus vulgus nostrum corripi, præter diei accessionem, nihil cum veterum febribus communicantibus, vel saltem paucissimis notis ijsdem respondentibus.

Quas etiam si curationis modo veteribus descripto, curare fueris aggressus, adeò nihil proficies, vt cum artis vituperio, & tuo ipsius quoq; tædio, curationem sis tentaturus, vt propterea rectè dictum à Galeno sit, febres non dierum numero, sed signorum proprietate distinguendas atq; dijudicandas esse. Et rectè scriptum à Peucero viro doctissimo in præfatione libri de diuinationum generibus sit, medicationem omnem euerti ab eo, qui signorum considerationem tollit.

Quàm multas enim (ne quid de reliquis dicam) quartanas paucis ab hinc annis vidimꝰ & curauimus, quæ nullum cum veterum quartanis, præter diei accessionem, signum commune, neq; in pulsu, neq; in vrinis, alijsue eius symptomatibus habebant.

Nam vt cæteros taceam (etsi etiam maximi nominis & authoritatis viros ac fœminas testes hîc adducere queam) vnus infantis & bimuli testimonio adhuc lactentis, contentus ero, viri in Republ. Embdana celebris, & bonarum artium ac iuris studiosi, nostriq; amantis, filioli tunc temporis vnici, qui cum nutricis lacte sibi hoc malum suxerat. In quo primùm febris hæc cum leui extremorum frigiditate incepit, quæ ad horam vnam plus minus durabat. Hanc calor subsequebatur mitis, aliquando horis octo, quandoq;

nouem eum infestans. Quando sæpius sed parum bibit, vix singulis vicibus cochlearia duo. Toto autem paroxysmi tempore libram dimidiam & nonnunquã ne quidem libræ quadrantem. Etsi interea puer langueret, omnibus eius viribus grauiter afflictis. Cui demum (perseuerante diutius morbo) oculi intumescere, & prætumido tumore facies attolli cœpit. Vnde de cachexia ac grauiore morbo solicitus, quibusdam propinatis nutrici medicamentis, ægrotantem DEI beneficio curaui. Pulsus etiam in ipso febris vigore paruus erat & inæqualis. Et vrina in terram proiecta albida visebatur & turbida. Febris verò quarto quoq; die recurrens.

Hæc si ex dierum numero æstimanda febris fuisset, haud dubiè vt quartana curari illa debuisset. Cũ qua præter accessionis diem, nullo signo præterea communicabat, sicut manifestum est, cum quartanæ veterum signis, hæc nostra conferenti. Vt taceam infantis temperamentum sanguineum & laudatissimũ, à melancholici humoris generatione alienissimum.

Quamobrem suis quæq; febres notis ac signis æstimari ac dignosci, non dierum inuasione debent. Id quod vbiq; & in omnibus febribus sibi proponere ac infigere debent, qui medicinam apud nos feliciter exercere cupiunt. Scilicet vt veterum febrium, cum his nostris de quibus sermo est, collatione distinguere norint, quibus signis veterum febribus accedant, & quibus rursum discrepent & dissentiant.

Quod inprimis nobis pulsus monstrabit, si paruus & ina-

& inæqualis præter febris rationẽ fuerit, deinde præter pulsum vrina, eo quo dixi, modo considerata. Vltimo quoq; propria cuiusq; febris accidentia, quæ in memoria habere eum oportet, qui feliciter has nostras dignoscere velit.

Futurum enim est, vt hac consideratione in morbi noticiã deductus, paucis diebus grauissimas quasq; febres sit curaturus, quibus nulla prius veterum profuit curatio: obseruatis tamen scopis & indicationibus, quas nobis medendi methodus præscribit. Quæ, quia à nemine hactenus satis animaduersa sunt, quod sciam, hinc factum esse arbitror, quòd tantopere vilescere apud nos & in his regionibus medicina cœperit, vtpote quæ nullius febris curationem certò promitteret, sed quæ plus sæpè offenderet, quàm prodesset, non medicæ artis culpa, sed artificum ignorantia, pro ratione locorum & circumstantiarum, cuiq; febri commoda medicamina applicare nescientium.

Quò magis necessariam diligentem signorum scelerybis traditionem esse putaui, quod ab his ad morbi noticiam, & per consequens rectam curandi rationem quasi manu ducamur.

Nam si in his regionibus febricitare quispiam, cum crassis, rubris & subfuscis vrinis cœperit, plurimis subsidentijs conspicuis, à quibus nihilo clarior supereminens supra hæc vrina extat, sed crassa & turbida atq; subalbida persistat: quòd, inquam, cum huius morbi significatione id fiat, supra ostendimus: Siquidem non vnius, sed plurium humorum & di-

uersorum putrefactionem, vrina talis demonstrat, & propterea non simplicem, etsi prima fronte videatur, sed compositum morbum, ex varia humorum miscellanea.

Quæsi tertianæ febris, vt quandoq; & sæpe fit, typum mentiatur, adhuc magis manifesta differentia, magisq; perspicua erit, quæ ab his vrinis sumitur. Quòd in illa frequenter in initio vrinæ tenues & citrinæ conspiciantur, atq; ad monstrandam sufficientem humoris peccantis concoctionem, nonnunquam nubecula sufficiat, cùm in hac nostra, crassa illa & diuersarum partium occurrat.

Vt taceam, in tertianâ etiam notha vrinis crassescentibus, & crasso sedimento subsidentibus, febris declinationem expectari, quæ in hac nostra extremam cruditatem, vt plurimùm, denotat. Sicut manifestum ex eo est, quòd cum his febris quotidiè inualescat & assurgat, vel saltem nullam sui imminutionem ostendat, & certo huius morbi præsentiæ testimonio, & eius, à vera vel notha tertiana veteribus cognita, discrepantia.

Hippocrates vrinas rubras rubro sedimento in matulæ fundum subsidentes, longiores quidem morbos designare, sed tutas & sine periculo esse in aphorismis dixit. Quem si hic & in nostris ægrotis sequamur, non rarò nostris prædictionibus, magna artis infamiâ, & nostra non vulgari turpitudine, à scopo aberrabimus. Quandoquidem cum his vrinis quàm plurimos hodiè apud nos interire videmus, ab angu-

stia hac

stia hac, præter medicorum spem & expectationem extinctos, vel aliàs morbi magnitudine & diuturnitate pressos. Quemadmodum pluribus exemplis, id hîc si necesse esset, probare possem.

Quapropter Hippocratis aphorismum de ijs sedimentis intelligendum esse opinor, quæ in fundum subsidentia, reliquam & supereminentem vrinæ substantiam claram & pellucidam relinquunt, nullis excrementis contaminatam; Ideoq; naturæ super peccante materia victoriam, vel aliqualem eius concoctionem & subactionem ostendunt. Quæ in nostris vrinis extremæ cruditatis signum habere, superiores vrinæ partes crudæ, indigestæ, ac turbidæ demonstrant, & propter has quotidiè tacitis incrementis assurgens morbus.

Quare qui medicinam facere apud nos considerate velunt, diligenter animaduertere debent, ne dum Hippocratem in his se sequi arbitrantur, ab his subsidentijs decipiantur, & cum sua & artis infamia priùs prædictionibus suis impingant, quàm morbus eiusq; natura, rectè ijs cognita sit & perspecta.

Quod fiet, primùm si ad diuersas vrinarum partes animum attendant. Deinde si omnia febris signa & symptomata secum diligenter expendant, & quibus signis ad veterum febres hæ nostræ accedant, quibus discrepent, & dissentiant, studiosè dignoscant. Futurum enim hoc modo est, vt plurimas agnoscere notas cogantur, quibus à veterum intermittentibus nostræ discrepent & distinguantur: Siue caloris qua-

litatem, frigoris q. sensum, siue morbi naturam & mores febris q. continuationem, & superuenientia aliquando cum his symptomata rara, & à veterum foro aliena, considerent & contemplentur. Nam in quartana (exempli causa) etsi vrinis sæpe hæ nostræ febres conueniant, atq. perinde in his nostris eæ, atq. in quartana veterum, crassæ appareant & subfuscæ, rarissimè tamen in morbi principio, & prima febris accessione, turbidæ illæ, & crasso ac graui sedimento subsidere conspiciuntur, vel dispari substantia partim subsidente, partim conturbata apparent.

Accedit in veterum quartanis, crassas & subsidentes vrinas concoctionis initium designare, quas in nostris extremæ cruditatis initium habere, morbi incrementum ostendit. Ne quid de variis accidentibus dicam, vti cum tertiana & quotidiana nostra febre, sic etiam cum hisce quartanis subinde concurrentibus, motibus scilicet conuulsiuis, lethargo, tremore, varijs & pungentibus corporis doloribus & lancinationibus, vel huius febris, in alium morbum, præterrationem, transitione. Sicut frequenter & inprimis apud Embdanos contingere vidi, vbi etiam quàm Hamburgi pertinacior hic morbus esse solet, & difficilioris ac operosioris in quibusdam curationis.

Ab his & similibus accidentibus non est difficile, has nostras intermittentes febres ab ijs, quas antiquitas agnouit, distinguere, ijs qui exercitatum in veterum morbis, eorumq. dignotione, ingenium habent.

In quo-

In quotidiana plærunq; vrinæ crassæ & albidæ esse solent, reliquis, quæ ad pituitæ generationem faciunt, correspondentibus. Quas etiam ad amussim cum nostris plærisq; quotidianis collatas, plurimùm differre, & ab ijs discrepare, facilè intelligent, qui ad ea, quæ de quotidiana febre ab antiquis scripta sunt, animum attendunt & diligenter animaduertunt.

Videbunt enim vt morbi natura & moribus, sic etiam pulsu & vrina plurimùm ab ijs has nostras discrepare. Inprimis verò vrina, quæ vt sæpe varia est, ita nonnunquam in his quoq; occurrit crassa & subfusca. Sed & accessionis modo, & terminatione, & præcedentis victus ratione, plurimùm quoq; eas discrepare animaduertent.

Cæterum plus difficultatis huius dignotio ab vrinis habet, quoties eæ variæ occurrunt, modò tenues & citrinæ, modò crassæ & turbidæ, aliquandò rubræ, & rursum paulò pòst aqueæ, vel tenues, & conturbatæ. De his vrinis meminisse præcepti Galenici oportet, quod quarto de victu morborum acutorum libro, in hanc sententiam scriptum reliquit: Scilicet ex varia & facili vrinarum permutatione, plures affectiones denotari, quæ vt non eandem curationem, ita neq; similem solutionis præfinitionem habent.

Quamobrem si quando in ægrotum incidamus (incidimus autem frequenter) has vrinarum mutationes patientem, scire ex hoc præcepto Galeni debemus, non vnum neq; simplicem, sed compositum morbum, ita affectum pati, atq; aliam causam ac morbum subesse,

diuer-

diuersum ab eo, qui in oculos ac sensus incurrit, Vtcunq; simplex prima sua specie ac facie morbus videatur. Qui num ad hunc morbum, & specificam huius putrefactionem referri debeat, cùm ab vrinis hisce varijs, tùm à pulsu docemur paruo, debili, & inæquali, vel magno, duro, & serratili, absq; vlla membranarum ossibus adhærentium inflammatione. Vnde non contemnendum nobis huius morbi indicium ministratur, quod pro fundamento, super quo porrò ædificemus, hîc nobis seruire queat, vtpote à quo aliquando viris in medicina exercitatis, prima manus nostræ ad pulsum applicatione, differentiam, qua ab alijs febribus, quas antiquitas cognouit, hæc nostra cum sceletyrbe coniuncta discernenda sit, ostendi.

Siquidem non rarò contingere videmus, quod æstuantibus, & præ calore variè tactantibus sese ægris, propriam & adnatam suam paruitatem inæqualitatemq; pulsus conseruet retineatq;, & huius morbi indicio, & lentæ putrefactionis significatione, suis fumis & vaporibus magis, quàm igneo calore molestæ. Quemadmodum proximis hisce annis elapsis, non semel id experti sumus; Et nuper in tribus quartanis, intra decem dies plus minus, feliciter (Dei gratia) nostra opera curatis, qua nonnulli, nulla simili curatione vsi, supra annum ægrotarunt.

Huius generis, & ab hoc morbo dependentes illæ quoq; sunt, quæ cum his vrinis crassis & turbidis incipientes, in initio, tertio quôq; die, fallaci tertianæ febris typo inuadunt, atq; postea, nisi intra dies quatuorde-

tuordecim sponte desinant, quotidiè infestant, nonnunquam vehementi cum rigore, & aliquando quoque diuturniore cum horrore.

Hæ febres vt plurimum in aëre salubriore cum temporis mutatione, & post tres menses, sponte soluuntur, vt quos in initio veris, febris hæc apprehendit, ferè sub festum Iacobi, vel circiter, remissionem sentiant, tam qui medicinæ præceptis obediunt, quàm qui omnibus artis medicæ legibus soluti viuunt, vtpote quæ propter morbi hactenus ignorantiam, nullis medicorum curationibus cessit.

In his etiam sæpè variæ vrinæ occurrunt, vtcunq; nullus circa victum committatur error. Vidi etiam frequenter cum laudatiore colore à morbo surrexisse, qui lacte & lacticinijs vsi fuerant, quàm qui ex medicorum vixissent præscripto. Noui etiam quibus periculosa curatio fuerit. Sicut de Anglo vno ostendere possem, nisi odiosa huius generis exempla essent.

Puto tamen rectè id hîc moneri, vt cognoscant medici iuniores, quomodo hos scopulos declinare conueniat. Cum enim quotidianis febris inuasionibus, ægrotantis vires frangantur & labefactentur, non alienum à ratione est, medicaminum, morbum non curantium, vsi & exhibitione, magis id fieri debere. Quod medici industrij animaduertentes, victus ratione, vt tutissimo curationis modo, istiusmodi postea curare tentarunt, ab euentu nimirum edocti. Quo nihil melius ac tutius sub morbi ignorantia est.

Si æstiuum tempus fuerit, nihil vtilius aëris mutatio-

tatione est. Procedit autem optimè harum febrium curatio, ijs medicamentis, quæ scorbuto ac febri debentur, sicut multiplici nostra experientia hactenus comprobatum fuit. Præmißis (sicut id requirere corporis constitutio videbitur) vniuersalibus, in administratione eorum obseruata anni temporis, morbi temperamenti, virium, & præcedentis victus ratione, sicut de his vniuersali medendi methodo erudimur. Quòd si cibandi necessitas medicaminum exhibitionem, propter intempestiuas febrium accessiones impediat, & vernum tempus fuerit, atq; ægrotus in vrbe decubuerit, in patentem aliquem locum extra vrbem æger transportetur, ibiq; expectata humorum concoctione, per interualla, quoties expedire id videbitur facili ac leuißimo cathartico eos expurgato.

Quòd si moram hanc recurrentes subindè angustiæ, & ad præcordia infestantes, propter suffocationis periculum non admittant, nulla habita temporum febris ratione, etiam aliquando in ipso febris vigore, necessitate id requirente, magno ægrotantium commodo morbiq; imminutione, prædictis medicamentis ad febrem & scorbutum facientibus insto. Nam qui feliciter iam dictas febres curare cupit, medicaminum compositionem moderabitur, pro vt veterum naturæ & moribus, vel huic nostræ, plus minusue illas consentire animaduertit.

Si enim corpus biliosum, & multa bile redundans, pluers tertianæ febris notas nobis repræsentauerit, pauciores verò scorbuti, cum ijs quæ choleram tempe-

rant

rant & extinguunt, ea miſceri, ſed minore quantitate debent quæ hunc morbum curant, idq; quadam humectandi refrigerandiq; poteſtate faciant & promittant. Cuiuſmodi ſunt huic vſui inſeruientia becabunga & acetoſa. Quorum ſuccus vtilior eorundem decocto eſt.

Quibus ſi non ſatis curatio procedat, etiam aliquid de cochleariæ ſucco eiusq; decocto addo, ſed moderatiore quantitate. Qui prædictis conuenientior eſt, ſi abſq; multa ſiti cum vrinis nigris, & rubris vel craſſis & ſubfuſcis febris contingat, in corpore multo & craſſo ſucco melancholico abundante.

Si aër in quo æger decumbit ac degit, tenuis fuerit & ſubtilis, eademq; fuerit viuendi conſuetudo, mitioribus, minusq; incidentibus & attenuantibus medicamentis curatio perficitur. Quæ intendi in aëre craſſo & humido debet. Qualis aër Zelandicus, aër Embdanus, & in multis partibus Hollandiæ eſt, ijs in locis potiſſimùm & ciuitatibus, quæ ad ſeptentrionalis maris littus proximè accedunt.

In quibus, prædictis pro ratione ægrotantis temperamenti, ea miſcenda ſunt, quæ cum huius morbi curatione humores attenuant & incidunt. Cuiuſmodi inter cætera ſunt carduus benedictus, abſinthium vtrumq;, Enulæ campanæ radices, naſturtia vtraq;, trifolium aquaticum, & id genus alia.

Quod ſi fortioribus opus fuerit, optimè faciunt chelidoniæ minoris radicis decoctum, & raphani ſuccus expreſſus, & iam dictis debita portione permixtus.

mixtus. Quibus ritè administratis, paucis diebus curari febres longissimas, sæpe supra annum perdurantes, & non rarò in grauiores (vt fieri solet) morbos transeuntes, videbis, quibus, citra horum vsum, nulla (sicut sæpius obseruauimus) medicina potuit subuenire.

Atq; hoc curationis modo paucos nouimus supra quatuordecim dies ab his febribus ægrotasse. Quemadmodum infinitis exemplis si necesse esset, ostendere possem.

Vidimus etiam præter veterum placita, in aliquibus hisce febribus intermittentibus conuulsiuos motus, in aliquibus Subeth siue Carum coniungi, qui cum febris accessione singulis paroxysmis recurrerent, ijsdemq; remittentibus cessarent.

Alterius exemplum nuper nobis Embdæ præbuit quidam Anglus, cui nomen erat Ritzardus Best, & præter eum puellus, & altera puella annorum plus minùs quatuordecim. Vt Cari cum paroxysmo recurrentis, adolescens flander Boudeuinus Bogart, & præter ipsum senex sexagenarius Gandauensis. Quos à putridis & malignis huius morbi exhalationibus id pati, ex pulsu & vrina, ac febris specie & moribus, cùm aduerteremus, breui, huic malo obuiam iuimus, nisi quòd ab hoc caro senex multas secum mussitans melancholiæ causas, quibus cum diutius conflixerat, semel atq; iterum reuocatus, tandem sit extinctus.

In quorum curatione illud peculiariter annotari debet, quod peculiari vi & facultate in Caro ab

hoc

hoc morbo excitato, nostra qualicunq; obseruatione animaduersum sit, ante omnia nasturtij aquatici succum valere, illius scilicet, quod in limpidis & fluentibus riuulis prouenit. Nam quod in cœnosis & stagnantibus quibusdam aquis apud nos Embdæ crescit, sicuti saporem ingratum atq; iniucundum habet, ita inefficax quoq; illud esse experimur.

Miscetur autem conuenienter hic succus, ijs quæ ad febres, veteres præscripserũt, tum etiam illis ipsis, quæ huic morbo conuenire paulò antè diximus.

Quòd verò ad soporem hic succus conferat, antè nos Rondeletius celeberrimus nostri temporis medicus, contra Fernelium virum quoq; doctissimum, suo de medendi methodo libro defendit. Cuius sententiæ subscribere nos veritas compellit, qui in hoc nostro Caro à scorbuto excitato, bis terũe præsenti remedio eodẽ vsi sumus, sicut suo loco de hac re latiùs dicetur.

Conuulsiuis motibus plurimum cochleariæ succum prodesse aliquoties etiam nostris experimentis comprobatum est, si ijs quæ ad febres (cum quibus vt plurimum concurrunt) faciunt, commisceatur, indicationibus, quas medendi methodus ostendit, vbiq; obseruatis, vt scilicet pro ratione humorum peccantium, & victus præcedentis, curationem intendamus imminuamusq;.

Cum quibus si aluus non respondet, iniyciendi clysteres reuulsorij sunt, ex ijs quæ humores attenuant & incidunt, ac simul humorem melancholicum, & huic pro temperamenti ac victus occasione mixtum

humorem leuiter euocant & educunt. Siquidem graues humorum commotiones, maximè in eius initio, hic morbus non admittit.

Ex quibus autem parari clysteres hi debeant, notius est, quàm vt hic moneri illud sit necesse. Quos etiam pro rei necessitate variare norunt, qui artis nostræ aliquem vsum habent. Nos enim, quod in libri fronte diximus, prima quædam tum morbi huius, tum curationis eiusdem rudimenta damus, quæ datura alijs occasionem essent, altiùs de hoc morbo inquirendi, vt eorum doctis scriptis hæc nostra obscurentur.

DE FEBRIBVS CONTINVIS.

Atq; hæc de intermittentium febrium genere, cum scorbuto coniunctarum, earumq; à veterum differentia, dicta nobis hactenus sint. Postulat nunc ordinis ratio, quædam etiam de continuis dicamus, quas eadem facultate hic morbus exprimit & mentitur, atq; intermittentes.

Vnde consequitur, non in ventriculo & primis venis tantùm huius morbi materiam contineri, sed etiam in maioribus putrescere vasis. Quod manifesto indicio plumbeus ac viridis quorundam sanguis ostendet, venæ sectione emissus. A quo etiam plebs hodie indicium de hoc morbo ferre præsumit, Eos scorbuto laborare affirmans, quorum sanguinem tinctum his coloribus videt. Et vt quod res est fatear, obseruaui ferè in omnibus crassiori cibo indulgentibus, & qui cum

cum hoc morbo diutius sunt conflictati, sanguinem è venis emissum, his coloribus, quantum memoria mecum repetere possum, infectum fuisse.

Quibus autem signis à putridis febribus veterum & continuis, hæ nostræ putridæ & continuæ sint distinguendæ, ostendunt primùm febris mores, qui plærunq; in his nostris mitiores sunt, & minore cum inquietudine ac siti coniuncti. Aut si auctiora hæc videbuntur, manifesto indicio hunc morbum anxietas per interualla recurrens, & ad præcordia infestans declarabit, & pulsus comparatione illius qui in putridis veterum sentitur, paruus & inæqualis: Quibus si vrinæ accedant crassæ & subrubræ, crasso & subrubro, vel albo, crasso & subrotundo sedimento, dispari & graui subsidentes, quibus pro putrefactionis notis quas ostendunt, par potus desiderium, ac quantitas non respondet, signum magis euidens habes, quod tutò ad instituendā rectè curationē te deducet.

Hæ febres si purgantibus medicamentis fortioribus in initio, vel patrijs cereuisijs ex aquis nostris decoctis, vel medicaminum calidiorum vsu exasperentur & irritentur, plurimos subito deliquio & suffocatione enecant & occidunt.

A qua periclitantem Marescalcum, & supra triduum cum ea angustia viuere se posse negantem, intra triduum DEI gratia curauimus, cùm eodem, quo ad eum venissem die, pillulas nescio quas hausisset. Sicut huius curationis testes nobis quidam esse medici possunt, qui partim adhuc Leouerdiæ viuunt.

Eodem suffocationis periculo Staterae tributarij filiam penè desperatam, & ab alijs adstantibus certae morti destinatam, intra viginti quatuor horas (DEI beneficio) liberauimus, cum Luneburgo reuersi, ad eam à parentibus vocaremur. Quae conuenienti horum medicaminum vsu, in octo diebus integrae valetudini porrò restituta fuit.

Praeter hos alios quàm plurimos ab hac suffocatione DEI gratia sanauimus, quos hîc referre planè longum ac superfluum esset.

Curantur autem eodem curationis modo, quo intermittentes, in quibus paulatim à mitioribus ad fortiora ascendere debet, qui tutam harum febrium curationem experiri volet. De qua re, quia prius monuimus, nihil opus hîc molesta eius repetitione est.

Conducit autem his potus quotidianus refrigerans, ex cereuisiis antea nominatis. Quarum si nulla haberi copia possit, hordeum in aqua pluuiali decoquo, eiusq; decocto, Rhenani tenuis & puri partem quartam aut quintam, vel tertiam & etiam dimidiam addo, magno agrotantium commodo, sicuti multiplici nostra experientia comprobatum est.

Nostri temporis Chirurgi, & Empirici medici, quorum magna apud Embdanos licentia est, propter nigras maculas, atri sanguinis recrementum, quod ad cutem quandoq; natura protrudit, respirationis difficultatem, qua hi vt plurimũ laborant, peste sic affectos laborare existimantes, Theriacae aliorumq; calefacientium medicaminum vsu (conseruandi

uandi magis à peste quàm curandi eam gratiâ excogitatorum) & exhibitione, curationem harum febrium attentantes, non paucis mortem accelerant, febrem augmentando, & respirationis difficultatem cum suffocationis periculo intendendo.

DE FACILI LIPOTHYMIA.

AQuâ tantam sæpe respirationis angustiam ægrotantes incurrunt, vt subitò aliquando & præter spem intra manus eorum deficiant, veluti animi deliquio extincti.

In quibus natura fortior morbi vehementiam euincit, hi, manente morbi radice, nunquam satis confirmati, frequenter perpetuo languore quasi contabescunt, alijs atq; alijs symptomatibus subinde infestati, donec vel in hydropem, vel atrophiam, aut aliud malum coniecti, miseram hanc vitam, feliciore morte tandem commutent.

Quò magis necessaria est diligens signorum huius morbi obseruatio, quò tempestiuè agnosci, & cum ægrotantis salute curari ille possit, priusquam diuturniore sua mora in maius malũ ægrotantem deuoluat.

Inter quæ, quia quoq; plurimum momenti pulsus habet, postulat hic locus leuem eius, quantum huic instituto satis est, enarrationem, ne quid vbiq; eius meminisse necesse sit.

Est autem omnium ferè hoc morbo laborantium pulsus paruus, debilis, & inæqualis, nisi quando ad

magnitudinem eum febris vehementia disponit. Quando durus quoq; & maior iusto, maximè sub intensa febre sentitur. Quòd etiam statim crebrior futurus sit, norunt ij, qui artem sphigmaticam tenent.

Qui deferuescente febris æstu, vel citra febrim, aut cum lenta & minima, perseuerante diutius scorbuto, tandem ex magno & duro, qui vigente febre occurrebat, pulsu, in paruum, crebrum, & inæqualem commutatur, à vermiculari parùm aut nihil sæpe differentem, adeò vt viuere hominem cum tali pulsu posse, Italus medicus admiraretur.

Ex quo manifestum est, quantopere ab hoc sæuo malo eiusq; tetris vaporibus cor, vitalis facultatis fons, infestetur. Atq; hinc fieri puto, quòd quidam hoc morbo laborantes, ad lipothymiam animiq; deliquium, post leuem motum, adeò faciles sint & promti. Quod etiam certo & pathognomico huius morbi signo fit.

Nam qui in paruo, quantum ad sensus, morbo ac febre, à qua decumbentes parùm aut nihil pati videantur, subitò & præter rationem linquunt, aut ad linquendum proni sunt & procliues, hos sceletyrbe laborare certò persuadere tibi debes. Quod curatio, si experiri libet, comprobabit.

Vnde intelligi facilè causa parui ac debilis pulsus potest, cùm à venenatis huius mali vaporibus adeò grauiter infestari cor videamus. Quod magis à maligna huius morbi qualitate, & venenatis eius fumis, quàm putrescentis materiæ essentia aut quantitate cor pati

cor pati, multis euidentibus argumentis, si huius loci id esset, demonstrari posset.

Nisi fortè ab orificio ventriculi, & cordis cum eo consensu, syncopen hanc fieri quis arbitretur. Quod mihi certe verisimile non sit. Quandoquidem de eo sic affecti nihil conqueruntur.

Vtut est, pulsus eorum, qui hoc symptomate laborant, similis planè ei est, qui à ventriculi orificij affectione proficisci solet, absq; eo quod quicquam, (nisi quando ventriculi affectio huic morbo iungitur) de eo conquerantur. Itaq; si quando in prædictum pulsum incidamus, (ventriculi orificio nihil patiente) sub quo æger facilè linquat, vel ad linquendum pronus sit, dubitare non debemus, quin cum huius morbi significatione id contingat, sicut de multiplici nostra experientia certò id fieri confirmare audemus.

Quo cum si vrinæ prædictæ, vel aliud ex iam dictis, aut postea dicendis signis, adfuerint, plura habes, quibus concurrentibus tutius, maioreq; confidentia acquiescas.

Et quanquam ad monstrandum hunc morbum, præsens symptoma sufficiat: pij tamen medici est, nihil eorum, quæ speciem morbi declarant negligere, quò primùm de morbo certum constituat, quam curationem illius aggrediatur.

DE CRVRVM DOLORIBVS.

QVamobrem si à toto corpore eiusue partibus signum aliquod nobis offeratur, quod ab alijs morbis hunc distinguat, illud quoq; considerare expedit. Sicut in hoc morbo, quo sæpe maximum à cruribus indicium sumi solet, scilicet ab obtuso eorum dolore, de quo grauiter quidem ab hoc morbo affecti conqueruntur, quem aliter explicare nequeũt, quàm quòd in eorum profundo circa os, inter eundum, vel aliàs, alij dolorem tensiuum sentiant, alij obtusum, alij mordicantem, alij pungentem & erodentem. Quem nonnulli similem videri aiunt, atq; si malleolis crura sibi contunderentur, quem etiam grauem & prementem quidam sentiunt.

Fortè prout variè à fonte & malis fomite descendentes vapores, crurum musculis & membranis, eorumue neruis, alijsue partibus immiscentur. Quò fit vt plarunq; non continuus, sed per interualla infestans hic dolor sit.

Qui alijs sub noctem frequenter (vt in Gallico morbo) ingraescit, adeò vt plurimi eorum sæpe ne horulam, aliquando ne quadrantem quidem horæ, in lecto commorari ac quiescere queant. Sicut Embdæ sartori meo, & cuidam meo conterraneo Frisio, item rusticæ, & nautæ coniugi, atq; alteri rustico, alijsq; quàm plurimis euenit.

Et quod de cruribus hic diximus, idem in agro Embdano permultis iuxta manus & digitorum extrema aduenisse, multoties obseruauimus. Qui etiam sub noctem, vti crurum dolores, ingraescebant. Etsi

alijs

alijs sub vesperam, alijs verò post mediam noctem id euenisse sciamus, fallaci quoq; morbi Gallici indicio, & adeò vt etiam exercitatis circa vtrunq; morbum exquisita vtriusq; dignotio negotium fecerit. Quam in his certissimo indicio pulsus paruus & inæqualis demonstrat.

Quosdam etiam grauissimis nuchæ doloribus, ijsq; tensiuis & prementibus affectos, ab hoc morbo fuisse, memini.

DE VARIO PARTIVM CORPORIS DOLORE.

SEd & dentium, cum dimidij, & alterius lateris maxillæ doloribus, per interualla quosdam adeò grauiter correptos vidi, vt quò se verterẽt nescirent. Describendis nominibus eorum, qui ab his doloribus variè exercitati elapsis hisce annis fuêre, vix sufficeret præsens charta.

Longum quoq; esset eos recensere, quos ab hoc graui malo, horum medicaminum ope, ad hunc morbum facientium, ad sanitatem rursum (DEI beneficio) reuocauimus.

Cum enim in confesso sit, commune malum communem causam habere, eamq; in aëre vel in aquis consistere, non dubitaui ab ijs, & aquis potissimùm, hoc malum procreari oportere, subscribentibus coniecturæ & inquisitioni meæ pulsu & vrina. A quibus magis confirmatus, eadem curationis via quoq; hoc malũ curare sum aggressus, felici curationis successu,

sicut huius rei complures hîc adducere testes possim, tum Embdæ, tum etiam Hamburgi à me curatos.

Cum enim toto hoc tractu, aquis, decoquendis cibis & cereuisiis, crudis ferè & putridis vtamur, necesse est ab his quasdam partes tenues, crudas, & indigestas ventriculo & intestinis, vicinisq; partibus & locis communicari, quæ hac putrefactione, ad quam sua sponte procumbunt, infectæ, varias exhalationes sursum emittunt, acres & malignas, quæ, in quamcunq; partem sese insinuauerint, intolerabiles suæ qualitate maligna vel intemperie excitant dolores, ad eundem ferè modum, quo in Gallico morbo fieri id ipsum videmus.

Semper autem in curatione ijs, quæ hunc morbum curant, medicamentis aliquid miscere soleo, quod ad partem affectã, (sicut ex communi curationis methodo docemur) eorum vim & facultatem deferre queat.

Infestat autem hoc dentium malum quosdam continuò, quosdam verò per interualla, diem aliquando vnum, duos, aut plures. Quos autem continuò corripit, subinde plures exercet hebdomadas & menses. Quemadmodum nuper contigit cuidam primario ciui Embdano, viro graui & literato, Ecclesiæ Embdanæ seniori, qui nostra etiam opera ab his medicamentis curatus intra paucos dies fuit, postquam cuiusdam Chirurgi & ibi Empirici, lapidicidæ operam aliquandiu frustra tentasset.

Simili dolore nuper duo laborarunt, ex dimidio etiam latere, dolore adeò intenso & graui, vt ne momentum

mentum quidem temporis, vno in loco commorarentur, sed continuò propter doloris magnitudinem, de loco ad locum sese transferrent.

His sub secundam noctis horam plærunq; dolor incipiebat, qui paucis horis ab his medicamentis nostra quoq; opera, DEI gratia, domatus est, ægrotantibus integræ valetudini, in decem diebus plus minus restitutis.

Adhuc præter dictarum partium dolorem, quosdam dolore dorsi corripi vidi, adeò graui & molesto, vt mori magis, quàm diutius cum eo viuere optarent. A quo nuper rusticum quendam DEI fauore curauimus, supra sex annos cum hoc dolore luctantem.

Eodem hodiè quædam nostra ægrota, cum singulis febrium accessionibus corripitur, adeò graui & molesto, vt huius ratione febrem, alioqui grauissimam, contemnat & aspernetur.

Sunt qui inflammationis circa renes sensum, perpetuo ardore molestum percipiunt, à quo nuper in paucis diebus quēdam ciuem Embdanum curauimus, qui cum hoc dolore conflictatus hebdomadas quinq; fuerat, adeò quoq; molesto, vt mori & dissecari se malle diceret, quam rursum eum, nisi aliter visum DEO fuisset, subire. Tanti quorundam hoc malo laborantium sunt cruciatus, vt nullo sermone satis explicari illi queant.

DE FALSA PLEVRITIDE.

Præter

Præter hos, alios capitis dolores, alios brachiorum, & nonnullos intensissimi laterum dolores, ad costas, falsa pleuritidis imagine ac specie exercent. A quibus nuper cuiusdam ciuis Embdani, Bastiani VVabbens natu maximam filiam, adeò grauiter molestari vidi, vt præ doloris vehementia exclamans, sæpe supra pedis altitudinem, in altum sese proijceret, magna adspicientium dolore & commiseratione.

Huic bis secta vena in opposito latere ab Empirico satis temerariè fuerat, nullo ægrotantis commodo. Existimabat enim pleuritide, seu lateris inflammatione ad costas eam laborare. Etsi nec huic in opposito latere repetita sectio debeatur, in corpore frigido, pituitoso, & nulla sanguinis abundantia laborante.

Sed est magna istorum hominum ea in ciuitate, Embdana dico, licentia, magistratu nihil ad se hanc curam pertinere arbitrante. Cum tamen, si Platoni credimus, summa Reipub. felicitas in medico docto, & obstetrice graui ac fideli consistat. Verùm hæc missa faciamus.

Hunc dolorem cum pleuritide nihil communicare, statim prima manus in pulsum iniectione animaduerti, qui mirè paruus & inæqualis erat. Dolor quoq; intermittens per interualla recurrebat, eratq; nulla, nisi ex interuallo, leuis eam infestans tussis, quæ ex catarrho, à capite ad fauces delabente, ipsi adueniebat. Vrinæ crassæ & turbidæ, multo crasso excremento arenæ instar, subsidebant. Cum quibus

nihil

nihil vel parùm molestia sitis erat, & respiratio extra dolorem parùm vel nihil immutata. Vnde cum pleuritide nihil hunc morbum communicare, facilè intelligunt ij, qui veterem medicinam saltem à limine degustarunt.

Eodem hoc dolore subinde per diem recurrente, grauiter quoq; ante plures annos laborasse, celebris cuiusdam viri & patricij Luneburgensis, Domini Duysterhopij filium natu maximum, memini, à quo noctu nihil infestabatur. Quo tempore non satis cognita mihi legitima huius accidentis curatio fuit, quòd factum, vt diuturnior tum illa esset. Qui etsi nostra qualicunq; opera, vt plurimum in quatuordecim diebus fuerit recreatus, manserunt tamen morbi dolorumq; reliquiæ ad plures menses. Quos in prædicta filia, secunda & tertia medicaminis exhibitione (DEI beneficio) sustulimus, integra morbi curatione in septem diebus plus minus absoluta.

Eâdem doloris dimidij lateris specie, à quo grauiter quoq; diuexabatur, Itali vxor laborauit, præter iam dicta medicamina, accommodatis quoq; huic dolori sacculis, curata.

Ludit frequenter hic dolor falsa pleuritidis specie, vt etiam hoc nomine non indoctis possit imponere medicis, nisi diligenter multa attentione, & ingenij discursu secum vtriusq; signa excutiant examinentq;.

Cognoscitur autem discrimen, primùm quòd cum hoc dolore neq; tussiant neq; expuant, nisi quando calor lentus capitis humores dissoluens, leuem quandoq;

doq, ex càtarrho ad fauces tussim ac sputum commouet. Quod præter tussis speciem à pleuritide facilè sputum quod eijcitur, & creatus distinguunt.

Secundò à pleuriticis doloribus hos nostros de quibus sermo est, & pulsus distinguit, qui omnibus paruus, mollis, & inæqualis est, vt contrà in pleuritide durus, serratilis & altus.

Tertiò febris species, quæ in his lenta est, sicut propter affectæ partis nobilitatem, eiusq; cum corde vicinitatem, in pleuritide, maxima.

Quartò recurrens ex interuallo dolor, qui non primariò, sed per consensum partem affici ostendit, sicut de recurrente respirationis difficultate antea diximus, vbi affectus partem primariò afficientes, ad sui solutionem perdurare notauimus. Vt vel ab hoc solo signo, (ne quid de respirationis difficultate, qua pleuritici laborant, & sanguinis sputo dicam) à pleuritide & lateris inflammatione, hi nostri dolores pleuriticos mentientes, dignoscantur & distinguantur.

DE VENTRIS DOLORE QVASI COLICO.

ATqui vt iam dictas partes varijs doloribus subinde hic morbus exercet, ita ventriculum & intestina varijs cruciatibus lancinationibusq; exulcerat & discindit, quæ nullis curationi methodicæ cedunt, sed quæ post longiores exulcerationes, corpus ægrotantis paulatim extenuant & consumunt. Quæ adeò

adeò in quibusdam graues sunt, vt duos nouerim, ab his distensionibus cruciatibusq; in peritonæi rupturam incidisse. Vt non absre scorbuti nomen apud Belgas nostros, & modernos medicos, impositum ipsi esse videatur, idq; ab effectu consecutum hunc morbum fuisse, vt sceleryrbis & stomacacis appellationem, à crurum & oris vitio, antea quoq; in libelli initio ostendimus.

Corripiunt autem hi dolores sic affectos non continuò, sed per interualla. Estq; pulsus plærorumq; paruus & inæqualis, certam habens huius morbi significationem.

Vrina verò in quibusdam tenuis & citrina, ex qua nullum huius morbi signum capi potest, quibusdam absq; febre & siti, rubra, crassa & conturbata, euidens huius mali argumentum continens & demonstrans. Paucis crassa, alba, & turbida. Qualis vrina Generosæ cuiusdam comitissæ puellæ fuit, quæ post hausturn cereuisiæ anglicanæ indigenæ, vt vocant, antea ab hac febre debilitata, in tantum ventriculi dolorem incidit, vt instar anguillæ conuoluta, quò se verteret nesciret.

Cum ex pulsu morbum deprehenderem, & diætæ seu cereuisiæ prohibitæ à me errorem, super eo illam accusaui. Quæ etsi aliquandiu aduersaretur, instanti tamen & vrgenti mihi tandem errorem confessa est. Curata vnico medicaminis hunc morbum respicientis, hausturn est, à quo ilico vt incalescere illud cœpit, & in actum à natura deduci, ab hoc dolore, vti prædixeram,

dixeram, conualuit. Erat enim morbi radix iam antea cum febre à nobis eradicata.

Iisdem hisce lancinationibus, nuper duæ puerperæ, cum intensiore febre & multa siti laborarunt, & alter proxineta, & præter hunc quidam nobili familia natus, in agro Groningano.

Summà, longum esset omnes referre, quos ab his lancinationibus, hisce præteritis annis, D E I gratia, curauimus. Quare hisce contenti erimus, ne studiosè prolixitatem affectasse videamur. Qui quantum fieri potest, præcidere non necessaria nitimur, ne ieiuna oratio nostra fastidium legenti pariat.

Siquidem à multis annis, quibus praxi vacauimus & à scholis abfuimus, parùm vel nihil styli exercitio à nobis tributum fuit. Ideoq; boni lector consulet, si non ea elegantia, qua oportuit, in lucem & publicum hæc demus. Nos in editione hac non tàm styli elegantiam, quàm rei necessitatem, spectauimus. Vtrunq; viris in scholis, & elegantiorum authorum lectione exercitatis, post nos commendamus. A quibus vt iam antea semel atq; iterum diximus, hæc nostra obscurari cupimus.

Sed antequam ab hac scorbuti specie, ad aliam eiusdem morbi speciem transeamus, vnum atq; alterum prius exemplum dabimus, eorum qui diuturniore crurum dolore ab hoc morbo diuexati, ab his ipsis medicamentis, à nobis (D E I gratia) sunt restituti.

Inter quæ primum locum meritò sibi vendicat, meus Embdæ Sartor, cui nomen Simoni est. Qui totum

tum triennium plus minus ab hoc morbo, grauissimis crurum doloribus circa tibias fuerat diuexatus, adeò grauibus & intensis, vt toto hoc temporis spacio, ne horulam vnam continùò in lecto quiesceret, ac nunquam melius haberet, quàm quando flexis, & corpori subiectis cruribus, sartorum more, in mensa ijs insideret.

Tentauerat hic (vt fieri in longis doloribus solet) omnem omnium operam, admiserat vesicas, & cutem exulcerantia emplastra, denique nihil non, quò hoc dolore liberaretur, at nullo successu, nullaq; doloris mitigatione. Hic à nobis in vndecim plus minus hebdomadis feliciter curatus, firma valetudine, DEI gratia, etiam nunc vtitur, cum à curatione ista elapsi anni ferè tres sint.

Iisdem & non multùm dissimilibus doloribus sub genu, & circa talum, Frisius quidam caupo & mercator, Adrianus nomine, tres anni quadrantes diuexabatur, Chirurgorum opera eousq; perductus, vt qui antea baculi adminiculo ingrederetur, postea domi claudus desideret. Hic etiam ijsdem ferè medicamentis, sed pro complexionis, & anni temporis ratione variatis, curatus in octo, ni fallor, hebdomadis media hyeme fuit, quando difficiliores esse horum curationes apud nos solent.

In his omnibus morbum hunc ostendit pulsus paruus, debilis, & inæqualis. Cui subinde certiore nota vrina subscribit crassa & conturbata, crasso, graui ac rubro sedimento in matulæ fundum subsidens.

Quæ trahente moram morbo, vt plurimum citrina, & nonnihil ad fuscum declinare apparet, & quandoq; tenuis & spicea, vel etiam aquea. De quibus si certi quid cognoscere cupias, necesse est pluribus diebus deinceps eas contueri, & num quas mutationes præter rationem patiantur considerare.

Nam si alias atq; alias absq; causa vrinarum permutationes animaduertas, nunc crassas & turbidas, postridiè aqueas & tenues, rursum citrinas & aureas vel subrubeas, huius morbi indicio id fieri certò tibi persuadebis. Easq; si ab epotis medicamentis scorbutũ curantibus postridie, vel post biduum ac triduum, ex tenuibus in crassas commutari cernas, crasso & iam dicto sæpius sedimento subsidentes, habes etiam sic ex his notionem, quantum mea qualicunq; experientia hactenus perdiscere quiui.

Accedit crura ab hoc morbo tentata, ad ingressum stationemq; longiorem tarda & impotentia esse.

Quibus sura crurum dolent, ijs plærunq; tensæ illæ & duræ, absq; inflammationis nota sentiuntur, etiam certissimo huius morbi signo, sicut tonsoribus ac mulierculis nostris notum est.

DE TVMORIBVS DVRIS QVASI GALLICIS.

QVi crassa & nautica victus ratione vtuntur rustici ac nautæ, aliquando in qualibet corporis parte tubercula consequuntur dura ac varicosa, & non-

& nonnulli eorum tumores duros, magnos & profundos, cùm in inguine & glanduloſis corporis partibus, tùm etiam qualibet corporis parte, ac medijs muſculorum ſpacijs, doloris, dum quieſcunt, aut crus ſuper ſcamno & puluinari reponũt, expertia, quæ tamen (de varicoſis tuberculis loquor) inter eundum, vel aliter propendentibus cruribus, grauiter nonnullos, & ſæpe ad animi deliquium vſq; excruciant.

Huiuſmodi tubercula quibuſdam quaſi monticulis etiam toto corpore extuberare vidi. Quemadmodum conſulis Leouerdienſis, & cuiuſdam noſtratis nobilis vxoribus, aduenisse memini.

His tumoribus etiam ad Gallicum morbum ſcorbutus noſter quandoq; alludit, vt diligenti animaduerſione opus ſit, ad exquiſitam vtriuſq; dignotionem. Quæ hoc indicio ac ſigno manifeſtatur, quod in Gallicis tumoribus potentiali medicamine apertis, materia pinguis inueniatur, lardo infumato colore non diſſimilis, quale nihil in tumoribus, quos ſcorbutus facit, apparet.

Accedit, ſcorbuticos tumores vitam comitari triſtem & calamitoſam, vt contrà luxurioſam & delitijs diffluentem, præter ealaxam & voluptatibus deditam ij ſolent, quos Gallicus morbus facit.

DE TALI RETRACTIONE.

ADhuc præter has affectiones, cruribus ab hoc morbo, citra externum & extrinſecus appa-

rens vitium, languor aduenit, & ad ingressum debilitas ac impotentia. Quibusdam talus retrò versùs poplitem trahitur, ne posteriorem pedi partem terræ affigere queant, quod etiam in nonnullis, ex cuiuslibet musculi ac nerui vitio fit, prout hunc vel illum hic morbus affecerit.

Quæ omnia num ab hoc morbo fiant, pulsus diiudicat & ostendit. Nam ab vrina in his sæpe nullum certum indicium est.

Memini quoq; molestias plantæ pedum punctiones subitò quibusdam adueniſſe, & ab his postridie omnimodam crurum resolutionem, quemadmodum illi contigit, qui ex Marchia rates Hamburgum aduehebat.

DE CRVRVM PARALYSI.

SEd & citra punctiones, quàm plurimos subitò & de improuiso, tam crurum, quàm dimidij lateris resolutione, ab hoc morbo corripi vidi, vt circa hunc morbum minus exercitati medici, veterum paralysin sic affectos pati, constanter omnes vno ore affirmarent. Quod vt in illa, sic in hac nostra crura resoluta, & inutilia vsibus, quibus destinata sunt, reddantur ac afficiantur.

Differunt tamen, cùm signorum quorundam proprietate, tùm etiam curatione. Signorum proprietate hoc modo: Primùm quod etsi perindè hîc, vt in veterum paralysi, pedum translatio, figendiq; robur & firmi-

firmitas pereat, in plærisq; tamen aliquis decumbentibus motus maneat, quo resoluta membra mouere, & ad musculorum capita leuiter ea attrahere conspiciantur, contra naturam & morem veteris paralyseos, quæ ex neruorum obstructione fit.

Hanc motus differentiam obseruaui in Consulis Hamburgensis genero, nauta, duobus adolescentibus, causarum procuratore, tabellario, puella, sene, omnibusq; alijs, quos ferè hac affectione teneri vidi.

Altera differentia qua à veterum paralysi differt, quibusdam tantùm adest, non omnibus, neq; semper, sed per interualla, & vno tempore magis quàm altero. Ea est, quòd horum quidam, qui hac affectione laborant, aliquando cruribus suis innitantur, & leui alterius adminiculo subindè in plano, non incommodè ingrediantur, qui pridiè pedem in terram figere, aut soli stare non poterant.

Cuius variæ vices sunt, ita vt rursum postridiè id ipsis negari, iterumq; paulò pòst concedi videre liceat. Alia planè & diuersa ratione, atq; in veterum paralysi obseruatum hactenus fuit.

In qua permanens ad sui solutionem hæc resolutio est, quippe quæ à propria, & primaria neruorum affectione procedit, donec naturæ robore, aut artis præsidio & beneficio illa vincatur, & expugnetur: cum hanc nostram aliundè neruis aduenire, & per sympathiam ac consensum fieri, motuum vicissitudines demonstrent.

Quin & à veterum paralysi in quibusdam corpo-

ribus hoc indicio differt, quòd illa sæpe subitò, & post fortiorem animi ac corporis motum, plethoricis & otio ac delitijs indulgentibus fiat, vti contrà hæc nostra post longas tristitiæ causas, paulatim, vel subitò quoq; prius subinde partem affectam tentans, quàm certò sedem figat, & certam aliquam corporis partem inuadat, eadem leuitate, qua apprehendit, subinde resiliens, & partem afficiendam relinquens, quemadmodum Hamburgensium Syndico, & alteri in Holsatia rustico, alijsq; nonnullis aduenit.

Sed & momentaneo stupore, ac leui membrorum post somnum, vel statim à somno resolutione, diu antè quosdam tentatos memini, quàm in morbum & hanc paralysim res erumperet. Nam in eo quoq; veterum paralysim imitatur, quòd aliquando stuporem aduentantis morbi nuncium, ac veluti præconem præmittat. Sed hoc signo à veterum stupore differentm, quòd momentaneus sit & facilè remittens, quemadmodum etiam subitò rursum & de improuiso apprehendens, vt plurimùm verò cum leui & momentanea affectæ partis resolutione coniunctus.

Vnde manifestum est, non proprium nervorum, aut primariam eorum affectionem hanc esse, sed magis aliundè malum hoc neruis aduenire, magisq; per consensum, quàm primario hoc ipsos pati, à maligna scilicet & frigida vaporum, qui ab hac putrefactione resoluuntur, qualitate & natura.

Quemadmodum faciles harum affectionum mutationes ostendunt, quæ ab humorum affluxu non

ijsdem

ijsdem mutationibus, neq; æquè facilè, subiectæ esse possent, vt propterea non paralysim hanc affectionem, sed potius paralyticam passionem eam dicere oporteat, ad eum modum, quo Fallopius celeberrimus nostri temporis medicus, circa finem sui de capitis vulneribus libri doctissimi, conuulsiones per sympathiam cerebrum subinde afficientes non conuulsionem simpliciter, sed motum conuulsiuum appellandas esse existimat, vtpote quæ ab his vaporibus excitari non aliter videtur, atq; à torpedinis piscis halitu venenato, stupor.

Id quod etiam curatio demonstrat, inprimis in morbo recenti, & ea resolutione, quæ particularis est, & absq; febre, in quo ab adhibitis & competentibus huic morbo medicamentis, breui sic affecti sanantur, sæpe intra dies quatuor aut quinq;. Quemadmodum ciui accidit Dresdensi, & alteri cuidam adolescenti, à Gallici morbi curatione.

Vt plurimùm verò intra dies quatuordecim aut circiter, sicut pluribus nostris experimentis probatum Hamburgi fuit, cum alioqui proprij neruorum morbi (consentiente omnium medicorum authoritate) longi ferè sint & diuturni, nec nisi topicis, post vniuersalem morbi curationem euincantur & expugnentur.

Est tamen, quemadmodum nostra qualicunq; obseruatione compertum est, longior horum curatio & operosior ac difficilior Embdæ. Quod etiam valere in alijs locis puto, propiùs ad septentrionalis maris littus sitis.

His auctarij loco ad faciliorem huius à veterum paralysi distinctionem accedit, sæpe arthriticis doloribus, de quibus postea dicemus, hanc resolutionem superuenire, vel alijs huius morbi signis & symptomatibus hunc morbum coniungi.

Alijs etiam pedetentim, & cum longiore mora imbecillitas hæc neruorumq; impotentia accessit. Diuersa ratione, atq; fieri in veterum paralysi, ex subito humorum ad neruos affluxu solet.

Nam quæ ab inflammatione & ab alto lapsu, veluti à procatarctica causa paulatim fit veterum paralysis, Galeno quarto de locis affectis libro descripta, vt propriis notis, ita quoq; ægri confessione cognoscitur. De qua re vide Galenum loco & libro iam antè citato. Vbi etiam causam lector discet, vnde fiat, cur manente motu sensus pereat, & contrà. Quæ hîc studiosè omittimus, ne prolixitatem affectasse videamur, & in illud Galeni impingere, studium & laborem eorum reprehendentis, qui in vnum omnia locum, quò multiplicis scientiæ laudem aucupentur, congerunt.

Est q; etiam consideratio huius rei præter nostri libelli institutum, qui non symptomatum causas, (etsi aliquando quadam rei consequentia eas attingere necesse sit) sed scorbuti morbi dignotiones, eiusdemq; curationes, seu potius curationum indicationes, & huc facientes obseruationes nostras in huius libelli fronte promittimus.

DE PARA-

DE PARALYSI LATERIS VNIVS.

QVare his omissis, ad ea quæ restant, pergemus, dimidij scilicet lateris paralysim, huic iam dictæ resolutioni affinem. Quam etiam ab hoc morbo excitari, frequenter anno octuagesimo secundo vidimus, & postea quoq; non semel. Etsi pluribus familiare eo anno hoc malum fuerit, tam macilentis, quàm pinguibus & obesis, ijsq; quàm maximè, qui præter duriorem victum, diuturniori tristitiæ indulgerent.

Erat autem coniunctum alijs hoc vitium cum linguæ quoq; resolutione, plerisq; verò absq; hac.

Omnibus verò cum melancholici humoris putrefactione, & lenta febre id accidisse, ostendit præter pulsum magnum, durum, & inæqualem, vrina crassa, rubra, & subfusca, cuiusmodi occurrere nobis illa in quartanis solet febribus, atq; præter hanc, quæ cum hac vrina iungebatur sitis, ac linguæ labiorumq; siccitas, coindicantibus quoq; idipsum animi affectibus, omnibus quantum memini ad tristitiam semper diu ante morbum dispositis.

Ita enim sensi accidit consulis Hamburgensis affini, diutius extra patriam molestam litem persequenti. Ita mercatori sensi, in aliquot talerorum millib. a debitoribus suis decepto. Ita duobus in agro, propter continuas pluuias, segetem colligere prohibitis: Et Iurisperito, quem incertæ nugacesq; astrologorum prædictiones vexabant, nescio quem vitæ terminum

eo ipso anno minantes, sicut confessus mihi ipsemet fuit, etsi aliam tristitiæ causſam, alij coniectarent

Distinguunt autem à veterum ἀμυπνγίαν manifestis indicijs hanc nostram, cum morbi natura & mores, & in aliquibus ægrotantis corporis temperamentum, tum pulsus & vrina, præterea victus crassus & nauticus, atq; ad tristitiam proni procliuesq; animi affectus.

Natura verò & morbi mos hoc modo: Primùm quòd præter veterum paralyseos rationem, in hac nostra quandoq; ante eius completionem, aliud atq; aliud membrum prius tremor & leuis resolutio prehendat, eadem facilitate, qua apprehendit, subindè remittens.

Contrà, quæ veteribus cognita paralysis ex neruorum obstructione est, propria eorundem affectio est, & propterea quam semel occupauit partem, ad sui solutionem infestans.

Atq; si quis stupor (quo etiam ad veterum paralysim alludit) hanc nostram ἀμυπνγίαν præcedat, obseruabis semper cum leui resolutione, eum quoties apprehendit, comũgi, eademq; qua comprehendit facilitate, cum stupore rursum resilire. Quam etiam eadem certitudine præsagire & attestari tumores quauis corporis parte erumpentes solent, si eadem facilitate & promptitudine qua oriuntur, euanescant, & cum ortus sui principio, partem affectam leui & momentanea paralysi resoluant.

Ita enim ante hanc dimidij lateris resolutionem, rustico

rustico Holsato sub Casparo à Bockwolt euenit. Ita legum & iuris Doctori Hamburgensi Syndico.

Quin & post apprehensionem à veterum paralysi hoc signo discerni potest; quòd sub mediocri & spontanea quarundam partium conualescentia, aliæ resolutæ maneant, & indies magis magisq; resoluantur, vel quibusdam suis partibus ad conuulsionem disponantur.

Nam & hoc huic resolutioni peculiare esse solet, vt post aliarum partium curationem, quidam nerui, in quos vaporosa materia ab hoc morbo resoluta decumbit, contrahantur, sua contractione partem in quam inseruntur conuellentes.

Atq; hoc modo morum diuersitate, à veterum paralysi, hæc nostra distinguitur.

Cæterum quæ à corporis constitutione & temperie differentia sumitur, maiore ingenij exercitatione ac sagacitate eget, qua cognoscamus, rectè præsenti corporis constitutioni hæmiplegia veterum conueniat, nec ne.

Nam si in his regionibus à nulla euidente caussa, quam veteres tradiderunt, præter corporis dispositionem, dimidij lateris resolutione quis corripiatur, qui in laboribus & curis, cum duriore parciore q; victu vitam traduxerit, verisimilius est à scorbuto, quàm neruorum obstructione id eum pati.

Quod vt veterum paralysis in otio & crapula liberaliore viuentibus, obesis & plethoricis, vel sponte vel post grauiorem animi corporisq; motum frequen-

frequentius accidere solet. Ita contrà hæc nostra quæ scorbutũ comitatur, familiarior ijs esse consueuit, qui tristioribus cogitationibus diutius indulgent, ac longiori mœstitia & solicitudine premuntur.

Quibus si crassioris victus consuetudo, aquarumq; sublimium vsus accedat, maiore certioreq; indicio morbi causam manifestabunt, quò minus longiore dubitatione sit opus.

Quam pulchrè quoq; manus dirimet pulsui iniecta, quæ celeri dignotione discrimen quod inter vtrũq; est dijudicabit. Quod sicut in veterum paralysi paruus ille, languidus, ac mollis sit, sic in hac nostra propter febris admistionem, quæ in initio cum hoc morbo concurrit, maxima ex parte durus & inæqualis appareat. Cui vrinæ, maiore certitudine subscribunt crassæ, & subfuscæ, similes ijs per omnia vrinis, quæ in quartana febre redduntur.

Quas in veterum paralysi constat albas, tenues, & spiceas, vel albas & crassas esse, nisi alterius morbi admistione colorentur, qui propriis suis notis & signis discerni debet.

Quamobrem in morborum dignotione exercitatum esse eum oportet, qui hæc nostra rectè cognoscere cupit, atq; omnium morborum signa memoria prius complecti & tenere, quò promptius symptomata quisq; dignoscat, quibus à veterum morbis scorbutus differt.

De quibus quia prolixè & doctè suis de morborum curationibus libris medici ante nos scripserunt, inde

eorum

eorum signa diagnostica peti possunt ac debent. Quæ cum his, quæ circa hunc morbum aduenium collata & diligenter examinata, facilem postea distinctionem præstabunt. Nobis sufficit propria scorbuti signa, quibus ab alijs distinguitur, ostendisse.

Inter quæ cum non postremum locum hîc vrina teneat, præter morbum etiam humorem peccantem quandoq; coindicans, paucis inter cætera signa, de ea quoq; hoc loco dicere voluimus. Simul vt ostendemus, & ab hoc loco admoneremur, magis à venenatis vaporibus, & melancholici humoris corruptione, specifica hac, & scorbuto competente putrefactione infecti, quàm ab humorum in neruos impulsione, malum hoc exoriri.

Quòd, iuxta Rondeletium summæ authoritatis medicum, melancholicus humor de sua natura, & ex ratione, magis neruos contrahere dispositus sit, quàm resoluere. Atq; hinc fieri credibile est rationiq; consentaneum, quòd in morbi progressu ac diuturniore eius mora, aliquid de melancholici humoris substantia secum vapores hi deportantes, vnum vel plures semper ad conuulsionem neruos disponant, prout in hunc vel illum neruũ ille insinuatus delatusq; fuerit.

Ita enim in fine morbi euenit Syndico Hamburgensi iuris Doctori, & alteri eiusdem ciuitatis ciui, item patritio Kedensi, iuueni Embdano, cauponi, & omnibus ferè alijs, quos sponte, vel à non sufficiente curatione aliquo modo restitutos ab hoc morbo fuisse noui.

Hoc

Hoc malum in initio rectè tractatum, curationem minus difficilem habet, vtpote quæ in febris & scorbuti curatione consistit; ita tamen vt scorbuti, & attenuantia ac incidentia medicamenta, propter causam morbi crassam & frigidam, numero, gradu, ac dignitate ea, quæ calorem contemperant, superent & excellant. Eoq; curationis modo factum vidi, vt supra caput, brachium & manus intra octiduum tollerent & eleuarent, qui ne digiti quidem articulum prius dimouerent.

Atq; hac curationis ratione, ante paucos annos ciuem Hamburgensem virum annos natum septuaginta tres, intra hebdomadas quinq;, à dimidij hac lateris paralysi (DEI beneficio) curaui. Et intra tres vel quatuor hebdomadas, alterum tabellarium, Hamburgi ad Diui Petri templum habitantem, qui iam antea plures menses ab hoc morbo decubuerat.

Vbi semel radices agere hic morbus cœperit, & diutius ac per plures annos commorari, difficulter postea eradicatur. Itaq; pluribus tum & maioribus remedijs opus erit, nec non balneis & sudoriferis, omnibusq; attenuantibus, & incidentibus, ac calefacientibus tam foris, quàm intus adhibitis, applicatisq;.

Si contractio aduenerit, illa quoq; calefacientibus vnguentis, & ad hunc vsum commendatis à veteribus & modernis medicamentis, tolli debet, cuiusmodi vnum descriptum apud Valeriolam suo de obseruationibus libro erudito & docto habemus, quod vnguentum fidum author ipse appellat.

Sed &

Sed & huius ac paralyseos initijs, alioquin non admodum grauibus, hoc sequens prodesse vidi, quod cuiusdam Groningani medici Empirici est, pluribus experimentis diuitis.

Constat autem ex aquæ libris octo & manipulis quatuor Betonicæ, quibus ad tertiæ partis consumptionem decoctis, adijciuntur granorum iuniperi contusorum libræ duæ, cum quibus ad pultis consistentiam decoquuntur, à decoctione & expressione forti, iterum cum Sacchari libris duabus ad syrupi consistentiam coquuntur, quando ab igne remotis sequentes pulueres admiscentur, gingiberis scilicet vnciæ duæ, macis, calami aromatici, cubebarum, singulorum vncia dimidia, foliorum senæ vncia dimidia. Indeq; formatur electuarium molle, cuius ante & post cibum, cochleare vnum quotidiè semel aut bis sumitur, non infelici successu, sicut in vno atq; altero comperi.

Ego plurimum auxilij positum in absinthij decocto esse sic affectis, nostris experimẽtis hisce præteritis annis non semel, sed multoties comprobaui. Nam huius decocto solo & vnico curatus nauta & alij fuere, quibus citra vehementem febrem hæc passio aduenit. Ab eo quoq; melius rusticus sensit, & qui in agro habitabat textor.

Quod si grauior morbus plura ac maiora remedia postulat, propter concurrentes plærumq; cum hoc morbo viscerum obstructiones, quæ in quibusdam ob morbi causam crassam & frigidam, graues & pertinaces sunt, ac difficilis expugnationis, non sufficiunt,

ficiunt quæ iam dixi medicamenta, sed his admiscere alia oportet, quæ quadam erga hunc morbum proprietate, viscera reserare, crassa incidere & attenuare queant.

Cuiusmodi sunt huic casui seruientia, Enulæ campanæ radices, carduus benedictus, fumaria, cochlearia, trifolium aquaticum, nasturtia vtraq3, hyemale & aquaticum, si haberi illud ex limpidis & puris aquis possit.

Nam quod apud nos ex lutosis & cœnosis, ac stagnantibus aquis colligitur, vt mali saporis, ita inutile est, & minus efficax. Item hyssopus, betonica, cuscuta, ceterach, & id genus alia crassos & melancholicos humores attenuantia, & quadam proprietate hunc morbum curantia. Quæ etiam tum valere debent, si febris ac sitis signa, cū vrinis rubris, adfuerint, idq3 ratione causæ materialis, cui hic morbus insedit. Id quod nostro pudore, & ægrotantis incommodo didicimus.

Atq3 ab hac causa fit, quòd etiam largiorem sanguinis missionem hic morbus respuat. Sicut etiam ante nos rectè annotauit doctissimus & celeberrimus nostri temporis medicus D. Ioannes Veierus.

Purgationes quoq3 prius instituendas non esse, quàm humores concocti ac digesti fuerint, & specifica huius putrefactio superata atq3 victa sit, ab Hippocrate non vno in loco docemur. Perficitur autem curatio internis medicamentis, magis quàm externis, etsi nec illa suo loco adhibita obesse solent.

De to-

DE TOTIVS NERVOSI GENERIS DEBILITATE.

CAEterum quod nunc de dimidij lateris resolutione diximus, illud etiam paulatim & in pluribus annis omnibus neruis corporis aduenisse, in Consule Stadensi, viro optimo & erudito, nec non Senatoris Hamburgensis coniuge, & paucis alijs animaduertimus.

In ijs duo qui curationem in initio negligerent, vel medici ignorantia rectam non adhiberent: Hi facti tandem ad omnem rem adeò inepti ac impotentes sunt, vt cibum ipsis alij in os inserere cogerentur.

In his semper pulsum paruum, debilem, & inæqualem deprehendi, per omnia vermiculati similem.

Qui nulla molestia & obuio indicio, exercitatis in huius pulsus dignotione, morbum hunc prodit, ijs dico, qui exercitatum in dignoscendis pulsibus ingenium habent, eaq; in veterum placitis ac scriptis omissa norunt: Ideoq; peculiarem & veteribus incognitam causam hæc habere sciunt, aut ex similibus similia adstruere didicerunt.

Si enim Plinio credimus, ex paucorum dierum deprauatarum aquarum vsu, crurum resolutionem Cæsaris militibus aduenisse, scribenti: quid miramur, continuo earundem apud nos vsu, & ex tot concurrentium causarum congerie, idem nos pati, vel pro diuersa corporum constitutione, alijs atq; alijs symptomatibus & morbis nos subijci & affligi.

Duos noui post currentes arthritidis dolores (medicis morbi causam ignorantibus, & frequentibus purgationibus in initio eum aggrauantibus) tandem in continuam crurum brachiorumq; resolutionem incidisse. Ex qua alter post sex menses obyt, alter adhuc domi claudus desidet, nullam morbi sui curationem, quam infelicem priorum medicorum opera expertus est, admittens.

Præter illos alium noui, post diuturnas ventris lancinationes, & frequentes vomitus, quos initio morbi sui experiebatur, ex interuallo recurrentes, & ab hoc morbo quoq; (vti pulsus & vrina euidenter monstrabant) excitatos, tandem in leuissimam etiam brachiorum resolutionem ac totius corporis atrophiam incidisse, medicis quibus commendata curatio fuit, morbum ignorantibus, & communi curationis modo nullo effectu procedentibus.

DE COLICA IN PARALYSIN DESINENTE.

LEgimus apud Paulum Aeginetam libro tertio capite de colica affectione, suo tempore quandam coli passionem inualuisse, quæ post diuturniores lancinationes, coliq; & ventris dolores grauissimos, plærisq; ad Comitialem morbum, alijs ad artuum resolutionem transierit. Idq; malum primùm ab Italiæ regionibus initium sumpsisse, indeq; latius dispersum fuisse.

Idipsum nunc etiam in multis Rheni partibus viget.

get. Estq; mihi semel quoq; in Anglia in Magistro postarum visum, cuius qualia fuerint præcedentia symptomata, qualisq; vrina & pulsus, non satis ad memoriam nunc reuocare possum. Neq; erat tunc satis mihi huius morbi natura perspecta. Sunt enim ab eo tempore anni elapsi octodecim vel nouendecim.

Hoc scio, nulla methodica curatione à colicis doloribus liberari eum potuisse, cum alioquin medicis vteretur doctißimis, & in veteri medicina exercitatißimis, Doctore Hectore Nonio. D. Lupo. D. Adriano Iunio, viris veteris medicinæ peritißimis. Quos propter veterem nostram consuetudinem & noticiam, honoris causa nominare hîc volui. A quibus nihil subleuari hic (vt dixi) totius semestris spacio potuit.

Neq; prius hi dolores cessarunt, quàm in brachiorum resolutionem, velut in iudicatione causâ translata, desiissent.

Quare quia simile quid Hamburgensi apothecario, post diuturnas ventris ab hoc morbo lancinationes, aduenit, alijs post me meditandum relinquo, nunquid cum hoc morbo malum illud colludat, & eodem, quo iam dictæ passiones modo, curandum sit.

Sed antequam ab hoc scorbuti symptomate, ad aliud digrediar, vnius adhuc fœminæ Holsatæ historiam proponam, quæ ex interuallo momentaneo vnius cruris paralysi correpta fuit.

Cuius meminisse propterea hîc volui, vt ostendam quàm variè medicinæ artifices hic morbus ludat.

dat. Simul vt ex hoc loco cognoscerem⁹, magis à vaporibus (quos putridi humores intus latentes, & specifica hac & scorbuto propria putrefactionis qualitate affecti emittunt) hanc paralysim excitari, quàm ab humorum putrescentium contactu, eorumq; ad locum affectum descensu. De muliere autem illa sic se res habet:

Diutius hoc morbo laborauerat, à quo, sicut ex ipsa intellexi, ante triennium grauiter decubuerat. Cuius fortè hæ reliquiæ erant, priore curatione fortè suppressæ, & intermedio tempore tacitis incrementis rursum adauctæ. Hæ non nisi ex interuallo eam afficiebant, cum accessione alterum crus resoluebatur, vt in terram procideret, neq; sponte rursum in pedes se erigere posset. Qua remittente iterum baculi adminiculo, quò volebat, ibat, idq; subinde in vno die vigesies & amplius patiebatur. Curata nostrâ opera, DEI gratia, ab hoc malo breui fuit, eo curationis modo, quem sæpius nunc monstraui. Atq; hæc de paralysi dicta nobis hactenus sint.

DE CONVVLSIONE PAVLATIM FIENTE.

COnsequens nunc est, quemadmodum nerui ab hoc morbo conuellantur, corporisq; membra in se trahantur, demonstremus; quòd huic morbo de sua natura magis consentaneum id esse, supra ex Rondeletij sententia ostendimus.

Quem-

Quemadmodum etiam manifestum aliquando ex nautis est, ex longa & molesta peregrinatione domum ad nos redeuntibus, quorum plærosq; adeò contractos ab hoc morbo videre licet, vt in gyrum circumuoluti, nullum ferè membrum habeant, quod extendant, aut extendere queant.

In his modicis incrementis paulatim incipiens morbus continuus est, donec vel sponte, vel medicaminum ope resoluatur cureturq;. Suntq; ferè ij sine febre.

Nam quos cum febre conuulsio hæc apprehendit, ij quibusdam accessionibus interpolatis & recurrentibus id patiuntur, à vaporum, qui à latentibus intus humoribus putridis resoluuntur, ad cerebrum & caput eleuatione. Ex quo manifestum est, non propriâ capitis affectione malum hoc excitari, sed aliunde ad cerebrum vapores eleuari.

Qui validiore corporis nisu & concussione discussi, tandem inducias ægrotanti concedunt, donec alij in perditorum locum restituti, & ad caput emissi, eandem, quam prius affectionem inducant.

Atq; hac conuulsionis specie correptum cum febre tertiana Anglum fuisse, & cum continua Notarij domesticum, & præter hos nobilem ditionis Bremensis, etiam postea inter obseruationes dicemus, vbi horum historiam enarrabimus. Idem etiam ab hoc morbo Concionatoris filio & quibusdam alijs euenit.

Estq; pueris & infantibus Embdæ hoc malum familiarissimum, ys imprimis, qui à parentibus hoc mor-

bo infectis, nascuntur, vel obstetricis lac hoc morbo infectum sugunt.

Ita euenisse cuiusdam mei conterranei viri nobilis filiolo memini, cum matris lacte hoc malum sugenti, quam hoc morbo infestari pulsus paruus euidenter monstrabat. Huic infanti cum nulla medicamina satis prodessent, iussi nutricem quari sanam & nullo morbo contaminatam. Quo facto, intra triduum hi motus conuulsiui cessarunt, & meæ prædictioni fidem fecerunt, fuit autem Patris filioli nomen Philippus Meckema.

DE EPILEPSIA.

SEd vtrum ab hoc morbo conuulsio procedat, ex tribus potissimum cognoscitur, morbi scilicet proprietate, præterea à pulsu, & vrina.

A morbi proprietate hoc modo: Primùm quod semper cum febre hi motus conuulsiui incidant, Deinde quod eadem facilitate qua apprehendunt, remittant, iterumq; præter spem recurrant. Tertiò quod absq; causa veteribus determinata corripiant.

Quibus accedit, ante hos motus alios totius corporis concussionem comprehendere, alios totius tremorem, in alijs leuem præire paralysim, alijs brachia & manus prius subinde momentaneo rigore obrigescere. Qui etiam hac nota à veterum conuulsione distinguitur, quod aliquando subitò & præter rationem in alium morbum, cataphoram scilicet & paralysim vel abscessum transeat, sponte subinde euanescentem, & rursum præter expectationem redeuntem, vti

Angli

Angli filiæ Embdæ accidit. Prout ad hanc vel illam affectionem natura ægrotantis magis prona est.

Sed maiore certitudine à veterum conuulsione hanc vrinæ discernunt, huic morbo familiares, crassæ, scilicet, & conturbatæ, ac rubræ, crasso, & graui sedimento subsidentes.

Talis fuit vrina Angli de quo antea diximus, cum tertianæ febris accessione, multoties hac conuulsione correpti. Talis domestici notarij grauissimis conuulsionibus subinde in gyrum circumuoluti, magna omnium consternatione, & certo eius ex hac vita migrationis metu. Talis nautæ filioli & aliorum omnium quos hac affectione laborasse vidi.

Quæ etsi quandoq; tenuis, vt in Concionatoris filio, occurrat, eam tamen crassam præcessisse intelliges, si diligentius super ijs, quæ in initio morbi apparuerunt, inquiras: Hic puer, vtcunq; vrinas tunc temporis tenues redderet & citrinas, attamen ne tùm quidem absq; siti & febre fuit, vt propterea non contemnendum signum sit, quod ab his sumitur.

Quocirca si quæ nobis cum his vrinis epilepsia occurrat, faciles in initio mutationes, accessionumq; intermissiones subiens & admittens, non alienum à ratione erit, à vaporibus ab hac putrefactione eleuatis, corruptis & malignis, eam proficisci cogitare ac constituere: Quatenus eidem rationi consentaneum est, pro varia vaporum exhalantium deductione, & in cerebrum irreptione alia atq; alia symptomata procreari.

Quæ etsi sæpe ab vna eademq; causa fiant & excitentur, variari tamen illa pro diuersa subiecti dispositione, & varia partium humani corporis temperatura, quotidiana experientia confirmat. Ita si multa humida euaporatione irrigatum humectatumq; ab his vaporibus cerebrum fuerit, sic affectus morbum patietur, quem Carum Græci, Arabes Subeth appellant, profundo altoq; somno vt plurimùm ægrotantem opprimentem.

Quemadmodum hisce præteritis annis quàm pluribus aduenisse quibusdam exemplis, si necesse esset, hîc demonstrare possemus. Eadem hæc si tristi sensu neruos afficiat & subintret, si humida fuerit & frigida qualitate prædita, eos laxabit, si sicca, conuellet.

DE APOPLEXIA.

AD eundem modum si cerebri ventriculos, & arterias plexum retiformem constituentes, ingressa ea fuerit, quòd apoplexiam effectura sit, nemini dubium esse potest.

Quæ etsi mihi visa nunquam ab hoc morbo fuit, tamen ex symptomatibus & signis, quæ diligenti percunctatione ab amicis cognoui, & præcedentis morbi, quo laborauerat, natura & moribus, deniq; ægrotantis vita & victu melancholico, vnam viduam ab hoc morbo, huiusq; putridæ materiæ exhalationibus sic affectam fuisse, non vanis coniecturis & argumentis mihi persuadeo.

Cuius historiam, sicut de hac ab amicis & propinquis

pinquis edoctus sum, hîc propterea subiungam, vt aliorum iudicio quoque hæc res exponatur & subÿciatur.

Incepit primùm, quemadmodum ab amicis accepi, cum vrinis crassis & rubris, crasso & furfuraceo sedimento subsidentibus, lenta febre hac agrotare, absq; multa siti, aut vllo magnopere bibendi desiderio, Cuius curationem diutius negligens, post plurium hebdomadarum decubitum, ex vno symptomate (vt fieri solet) in aliud incidit, & tandem in apoplexiam, quibusdam interpolatis accessionibus eam corripientem. Vnde aliquoties ad mentis vsum reuersa, conuenienter de rebus omnibus, horis intermissionis, disposuit. Sed frequentiore & plurium dierum accessione, morbiq; magnitudine tandem deuicta succubuit, mortem cum vitâ commutans.

Hanc historiam paucis hîc adscribere volui, vt si quando3 in similem apoplexiam cum his signis & moribus incidamus, celeriore inuentione hac admonitione commonefacti, de singulis dispiceremus, ac morbum eiusq; causam inueniremus & cognosceremus, ne circa inquisitionem oberrantibus nobis ægrotantis salus priùs nobis elabatur, quam morbus cognitus sit atq; perspectus.

Quòd acutus hic morbus cùm sit, exactam quoq; & promptam curationem ille postulet & requirat, iuxta illud Hippocratis, extremis morbis extrema, seu vt alÿ rectius transtulerunt, exquisitissima remedia deberi dicentis.

Quæ hîc futura illa sunt, quæ quadam proprietate erga sceletyrben valent, cum admistione eorum si febris vehementior adfuerit, quæ cum attenuandi facultate eam extinguunt, & crassam materiam incidunt. Quibus rectè meo iudicio miscere aliquod simplex posset, caput respiciens, & medicaminis vim ac facultatem isthuc deducens.

Etsi in causæ præcisione præcipua curationis vis consistat, quemadmodum haud dubiè norunt, qui saltem à primo limine medicinæ sacra salutarunt, & aliquam vel minimam in praxi medica exercitationem habent. Sed de his quia pleni practicantium libri sunt, nihil necesse est cũ fastidio legentis prolixiùs ea hîc referre. Quandoquidem viris morborum dignotione, & medicaminum compositione exercitatis scribimus, qui, quæ componendorum medicaminum ratio sit sponte absq; nostra admonitione cognoscunt. Eamq; pro temperaturarũ differẽtia ac varia morbi eiusq; causæ diuersitate mutare ac variare norunt.

Quæ etiam ex proprietate sceletyrbæ conueniant tam simplicia quàm composita medicamenta, eleganter in suo de scorbuto libello persequutus D. Ioannes Veterus est, celeberrimus Ducis Iuliacensis medicus. Vnde peti possunt quæ hîc desiderantur, & ad hunc locum pertinent.

De varia febrium curatione, eiusq; pro subiecta materia differentia, etiam apud probatos authores legimus, in quorum lectione prius exercitatum illum esse oportet, qui cum fructu, & ægrotantium commodo ac

do ac bono, huius morbi curationem tractare cupit. Ne quod dicitur & in prouerbio est, vni calapodio calceum vbiq; accommodet. Multa quoq; ministrat vsus, artium & disciplinarum Magister, cuius ductu semper opus est. Neq; possunt particularia omnia scribi. Accedit longiorem de his doctrinam esse, quàm vt hoc nostro libello absolui ea possit.

Qui verò tutam curationis viam amplecti volent, à mitioribus incipiendo paulatim ad fortiora assurgere debent, si non satis priori curationi morbus obediat, aut cum laudabilibus vrinis is præter rationem ingraueſcat. Signum enim id certum est, mitiora ea medicamenta esse, quàm morbi causæ, eiusq; magnitudini conueniat. Ideoq; fortioribus opus esse, magisq; attenuantibus, & ex proprietate sceletyrben curantibus.

Quæ præterea ob incidentes circumstantias hic obseruanda notandaq; sunt, medendi methodus docebit. Eaq; sponte cognoscunt, qui aliquem artis nostræ vsum, & veteris medicinæ cognitionem habent. A quibus (vt antea dixi) hæc nostra obscurari cupio. Qui hæc in lucem & publicum dedi, eorum calamum & venam vt excitarem, præterea occasionem ijs hoc nostro scripto præberem, prestiùs post nos hac de re, ad diuini numinis gloriam, & proximi salutem, cogitandi.

Quandoquidem non minima DEI beneficentia est, inter cætera eius beneficia, quibus genus humanũ ornat, suppullulantium quotidiè morborum cau[illegible]as & curati-

& curationem, tam benignè nobis, pro ineffabili sua misericordia ac bonitate, detegere & aperire. Quod vnius & solius DEI opus ac munus esse nemo Christianus ignorat, quatenus à nobismetipsis nihil rectè cogitare aut facere queamus. Et si quid huius in nobis reliquum à prima creatione esset, turbaret idipsum haud dubiè Satanas, infestissimus humani generis hostis, qui hoc vnum agit & satagit, vt quàm plurimis calamitatibus nos implicet & inuoluat.

Cæterùm quia hæc alterius loci sunt, & ab instituto nostro aliena, ab his recedentes, ad ea quæ restant properabimus.

DE PARTICVLARI CONVVLSIONE.

NAm vt hi motus conuulsiui cerebrum, id est, principium motus ac sensus apprehendentes, totum corpus conuellunt, & in gyrum circumagunt: Ita eiusdem putrefactionis vapor, in particularem aliquem musculum, vel motus opificem neruum delatus, illius, in quod inseritur, membrum & particulam contrahet, sua seu frigiditate et crassitie, qua neruum adimplet, seu maligna & venenata qualitate, quæ vt torpedo piscis, sua proprietate neruos offendit, & ad hanc affectionem inducit & disponit. Quam frigidam esse curatio demonstrat.

Quòd autem vaporosa magis quàm humoralis, efficiens huius conuulsionis causa sit, affectio ostendit, nullo tumore aut duritie comitata. Fit verò aliquando pau-

do paulatim conuulsio hæc, absq; febris aut alterius alicuius mali implicatione & admistione, aliquando cum manifestis febris indicijs, & nonnunquam post grauissimos ab hoc morbo excitatos dolores.

Cum conuulsiui motus vniuersales de quibus diximus, semper, quantum memoria mecum repetere possum, cum manifestis febris indicijs fiant, ijsq; vigentibus, quàm maximè infestent.

Quæ autem paulatim, & citra alterius morbi admistionem fit conuulsio, plærunq; ex crassa & nautica victus ratione oritur, aquisq; putridis & depravatis, nautis nostris, quos à continenti diutius tempestates & molestæ æquoris iactationes, arcent & auertunt, familiarissima. Quos sæpe à molesta hac peregrinatione adeò contractos ad nos domum redire videmus, vt nullum ferè corporis articulum habeant, quem dimouere ac extendere queant.

Atq; hac conuulsionis specie circa calcaneum infestatam Secretarij Hamburgensis sororem memini, ex crasso quoq; victu, & post molestum mariti sui morbum.

Sed quæ post diuturnos huius morbi dolores, & cum vel post febrem sequitur conuulsio, frequentior nostris tam rusticis quàm vrbanis est. Qua ante paucos menses duo correpti extra nouam portam Embdanam fuere. Et in phaleris Embdanis vt vocant nauta, atq; præter hos mercator Antuerpianus, rusticus, adolescens Colonensis, iuuenis Embdanus & alij infiniti, Spasmo canino correpti ab hoc morbo apo-

thecarij

thecarij Embdani soror fuit, item mercator senex & sexagenarius, nautæ coniux & cuiusdam ex Frisia occidua oriundi fœmina.

De quibus omnibus si sine febre sint, certius ex pulsu, quàm ab vrinis indicium est, vtpote quæ vt plurimùm tenues & citrinæ, nullam huius morbi significationem habent, per omnia ferè, nisi quod tenuiores iusto sint, sanorum lotijs similes. In quibus tamen pulsus paruus, debilis & inæqualis, manifesto indicio morbum hunc ijs prodit & ostendit, qui exercitatum circa pulsuum dignotionem ingeniũ habent.

Quod si febris indicia vrina habeat, eiq; coniuncta sitis & oris siccitas fuerit, præter pulsum, morbum hunc arguet vrina tenuis & rubra, aut crassa & rubra, sed subobscura liuedine fuscedineue tincta.

In quarum plærisq; multa subsidunt excrementa grauia & crassa, à quibus nihilo clarior, superemineus, supra hæc, vrinæ substantia conspicitur, sed tota sua essentia superiore turbida & conturbata visitur, certo, sicut antea diximus, & indubitato huius morbi argumento.

Quibus si prædicti dolores per interualla infestantes coniungantur, adhuc magis super scorbuto confirmaberis. Eo quod latentis intus malignæ putrefactionis, à qua materia hæc vaporosa, sua vel essentia, vel qualitate continuum discindens, dissoluitur, manifestum indicium habeant infestantes hi per interualla dolores.

Qua

Quæ extra alterius manifesti, grauioriq; morbi significationem, quomodo ad hunc morbum referenda sit, suprà etiam ostendimus, ne quid molesta eius repetitione hîc sit opus.

Restat nunc paucis huius symptomatis curationem, quam in hoc casu felicem aliquoties experti sumus, ostendamus. Quæ, si sine febre & obstructionibus æger fuerit, paucissimis absoluitur, sæpe solius absinthij decocto, quod in hoc casu, sic affecto, vel ex aqua & vino, vel conuenienti cereuisia, Anglicana scilicet, aut Hamburgensi tenui, felici nostro experimento non semel exhibuimus.

Et q; hoc solo decocto curatus nauta, & extra nouam portam pauper rusticus, & præter hos Secretarij Hamburgensis soror.

Sin cum febre & siti, atq; cum obstructionibus manifestis coniunctum hoc accidens fuerit, neq; in his ab huius vsu abhorreo. Nisi quod prædicto, quædam febrem mitigantia, quæ fortius obstructiones expediunt, atq; hunc morbum quadam proprietate curant, miscere consueuerim.

Quæ autem febrem hanc curent, alio loco diximus. Quibus pro tollendis obstructionibus cuscutam, ceterach, scolopendrium, hyssopum & betonicam addimus; & pro pleniore huius morbi curatione, si febris patiatur, carduum benedictum, raphani & enulæ campanæ radices, nec non in duris & agrestibus corporibus, ijsq; humidis & frigidis, raphani radicis succum.

Et præ-

Et præter hæc cochlearíam, naſturtium vtrunq3, trifolium aquaticum, & chelidoniæ minoris radices. Quæ variè, pro varia corporum conſtitutione, & peccantium humorum conditione permiſceo.

A quibus ſi non ſatis, vti iure debebat, curatio procedat, neq3 tamen ſitis aut febris ſub his inualeſcat, (adminiſtratis prius vbiq3 vniuerſalibus) paulatim ad fortiora tranſeo, donec aptum morbo eiuſq3 cauſæ remedium adinuenero; quam hîc craſſam & rebellem eſſe morbi, magnitudo eiuſq3 mores refracti oſtendunt.

Sæpe enim ab vrinis rubris & tinctis, ac moleſtioreſitu deceptus in his ſum, quò minus ad fortiora tranſirem, aut tranſire propter febrú indicia auderem, magno ægrotantis incommodo, & nullo curationis ſucceſſu.

Quod in his, vtcunq3 vrinæ tinctæ videantur, morbi cauſa craſſa & frigida, ea medicamina poſtuler & requirat, quæ cum leni calefaciendi facultate, attenuandi incidendiq3 vim & poteſtatem, cum quadam ad hunc morbum proprietate, habent.

Ideoq3 ſi non ſatis à mitioribus vrinæ immutentur, vel ijs ad melius immutatis, & ad naturalem colorem redeuntibus, morbus nihilominus ingraueſcat, diligenter ad ægri temperamentum, & præcedentis vitæ victuſq3 rationem attendere oportet, & omnibus diſcuſſis examinare, ſatisnè ſecundùm hæc, intenſa medicamenta ſint, nec ne.

Siquidem certum ſignum, vrina laudabilis cum morbi

morbi incremento ac perseuerantia habet, mitiora medicamina esse, quàm pro morbi causa conueniat, & idcirco iuxta dictam normam intendi augeriq; ea debere, donec causa morbi contrario gradu adæquentur.

DE ARTHRITIDE.

ATq; hæc de paralysi & conuulsione dicta nobis hactenus sint. Sequitur nunc, quemadmodum hæc facere morbum hunc ostendimus: ita particulares & quarumlibet partium dolores ab eo commoueri, porrò monstremus.

De quibus quia partim antea diximus, hoc loco de ijs saltem dicemus, qui in articulis tantùm excitantur, & falsa arthritidis imagine medicos decipiunt ludificantq;.

Qui, si in morbi principio catharticis medicamentis fortius curentur, ab ijs adeò non mitigantur, vt etiam grauius exasperentur, & sæpe in paralysin, aliumq; ea deteriorem morbum, atrophiam scilicet vel simulem degenerent. Quapropter diligentem animaduersionem, & exactam à veterum arthritide distinctionem, hæc res exigit & meretur, ne curando prius impingamus, quàm morbus eiusq; causa nobis cognita sit & perspecta.

Dignoscuntur autem primùm ex eo, quòd diu vno in loco, maximè in morbi initio, hi dolores quos scorbutus facit, non subsistant, sed errabundi ad alium atq; alium eiusdem, vel oppositi lateris articulum

transeãt. Indubitato argumento, à vaporibus magis, tenuibus humoribus permixtis, quàm humorum defluxu malum hoc procreari, vipote ad mutandum locum stationemq3 suam minus promptorum. Quemadmodum à veterum arthritide docemur, etiam illa, quæ à tenuissimis & subtilissimis humoribus accidit.

Atq3 hoc indicio hos dolores scorbuto proprios, ab ijs, quos veteres cognouerunt distinguimus. Quòd hi ad sui solutionem vsq3 infestent, neq3 cum alterius membri apprehensione, statim prius relinquant, sicut in hisce nostris scorbuticis, maximè illorum initijs videre licet.

Qui in quibusdam aliquando adeò vagantes sunt & discurrentes, vt quos omni dolore solutos existimas, subitò alio dolore præter spem & expectationem, cum & sine tumore, apprehendi cernas, qui aquè atq3 prior ægrotum membrum discruciet.

Eum si topicis curare aggrediaris, videbis membro eo derelicto postridie, & sæpe eodem die & hora ad aliud eiusdem, vel oppositi lateris membrum & articulum transilijsse.

In quo illud etiam præter veterem arthritidem occurrit, huic morbo proprium & peculiare, quòd semper cum leui resolutione dolor hic coniunctus sit, adeò vt hoc malo infestati, rarò membrum affectum dimouere, & ad alium locum transferre sponte queant, nisi ab alio & sano membro adiuuentur. Quæ etiam cum dolore remittit, eódem quò dolor commigrans.

Atqui

Atqui hoc malum illud esse puto, quod doctissimus & celeberrimus nostri temporis medicus D. Ioannes Veierus vernacula & Belgica nostra lingua varen appellat.

Nam quod Belgis varen dicitur, latinis translatio ac commigratio est, Caterum est proprium hoc & pathognomonicum sceleryrbis signum. Quemadmodum curatio idipsum ostensura ijs est, qui post nos eam explorare volent.

Exhibitis enim quæ stomacacæ conducunt medicamentis, ab ijs hæc symptomata discuti & euanescere videbunt, vt ab excisa arboris radice, eius folia & fructus. Cum alioqui in vera & veteribus cognita arthritide, physica ratione affici ab his petus debebant.

Bibuntur in hoc casu, vt in reliquis omnibus, herbarum huic morbo conducentium succi, feliciore successu, quàm earum decoctum. Estq; in vna quadam Senatoris Hamburgensis coniuge probatus mihi ad hunc casum cochleariæ succus destillatus. Quem debilioribus ventriculis libentius destillatum, euitandæ noxæ causa propino, quòd in destillatione succus hic cruditatem, qua debiliores offendere ventriculos solet, dimittat.

Quod si crudis humoribus immixtum esse hoc malum videatur, conueniunt medicamenta, quæ citra multam commotionem ac digestionem, eos concoquunt & incidunt. Qualia huic vsui seruientia sunt Betonica, origanum, enulæ campanæ radices, cum ijs, quæ proprie stomacacen curant.

Ab his & similibus ab occulta qualitate & partim à manifesta conuenientibus medicamentis, & vsu cognitis atq; probatis, hi dolores euanescunt & dissipantur, vt ab oriente Sole matutino, æstiuo tempore nubes.

In quibus verò diutius medicorum ignorantia, aut ægri inobedientia, vel quouis alio dolore, morbus hic perseuerat, qui in initio discurrentes intermittentesq; dolores fuerunt, postea stabiles, & eodem loco cum accessione subsistentes, in debilitato longiore mora membro fiunt. Quando cum pulsu vrinæ morbum nihilominus manifestant.

Quæ quantùm memoria mea repetere mecum possum, aut crassæ, subluuidæ & rubræ, vel albæ, subsidentes, & turbidæ, apparuerunt, cum, & sine sedimentis. Cuiusmodi quoq; visæ vrinæ illius fœminæ sunt, cuius venter, crura, & abdominis musculi, mirificè ab huius putrefactionis halitibus discindebantur. Ex cuius felici curatione primùm in huius mali noticiam deductus sum, inquisitionem meam confirmante curatione, quæ cum alijs methodica ratione adhibitis medicamentis obedire nollet, ab his sequuta statim est.

Aliquorum vrina crassa apparuit & subnigra, cum crassis & furfuraceis excrementis, subluuidis & nigris. Qualis vrina fœminæ Holsatæ fuit.

Hæc per interualla ab his doloribus correpta, statim in terram concidit, leui resolutione cum ijsdem attentata. Quibus remittentibus, illico, quò volebat

baculi

baculi adminiculo ibat. In hac præter morbi speciem raram etiam sceletyrben mihi patefecit cum pulsu paruo, vrina varia & crassa, dispari substantia conspicua.

Ipsa quoq; huius symptomatis ignara, confessa mihi fuit, ante triennium grauiter se scorbuto ægrotasse. Curata ijsdem medicamentis est, quæ ad hunc morbum valere vsus monstrauit. Quibus subinde cathartica validiora admiscuimus, crudum & melancholicum humorem euocantia. Quòd hoc hominum genus rusticum, vt celerem, sic validam curationem amet & amplectatur.

Fit etiam aliquando huius morbi indicio, in hac arthritidis specie, post longiorem huius morbi moram (deficiente fortè facultate expultrice) loca, ante iuncturas infestari solitas, eadem difficultate ab his doloribus premi, qua prius ipsæ iuncturæ affici solitæ sunt.

Quemadmodum post diuturnum & molestum huius mali sensum Notario Embdano, & paucis alijs accidit.

Nonnullos noui continuo coxendicis dolore ab hoc morbo diuexari. A quo ante paucos annos supra tres menses lecto affixus fuit Sartor meus Hamburgi. Quem varijs inunctionibus aliquandiu quidam non incelebris alioqui chirurgus, sed frustra curabat, cuius mali causã, ego ex vrina crassa, rubra & subfusca, & eiusdem coloris in matulæ fundum descendentibus subsidentijs crassis & furfuraceis cognoui, absq; siti sic, aut vllo molesto caloris sensu excretis.

Quapropter media bruma ex vino rubro cochleariæ succum ei propinaui, quo intra quatuor aut quinq; ad summum dies, ab his doloribus liber euasit, etsi plurium dierum & hebdomadum integra morbi curatio postea fuit, propter cruris, qua laborabat, contractionem.

Ab his ipsis doloribus plures præterita hyeme curaui, & nonnullos qui supra tres anni quadrantes claudi ferè domi desederant, & non nisi summa cum difficultate loco dimouerentur. Sicut præter hos alios, quos vapores musculorum membranas subeuntes, brachia, crura, aliásue corporis partes discindebant.

De his omnibus certum à pulsu & vrina, vel ab horum alterutro indicium est minimeq; fallax. Adeò vt circa hæc exercitati, magnam imò maximam alijs de se admirationem sint præbituri.

Nunc, vt quæ curationem hanc concernant persequar, celare non possum, nostra qualicunq; obseruatione compertum esse, nonnullos in prima morbi inuasione, solo absinthio in vino seu cereuisia suspenso feliciter in quotidiano potu vsos fuisse, per semestris vnius spacium vsum eius continuantes. Quibus autem inueteratum malum est, pluribus fortioribusq; egent, & præter ea quæ assumuntur, etiam topicis.

Ex quibus non postremum in diuturniore morbo locum sibi vendicat, oleum per destillationem factum, quod suo de medicu consultationibus libello, Ioannes Fernelius celeberrimus nostri temporis medicus describit, consultatione sua decima tertia.

Atq;

Atq; hæc de arthriticis doloribus scorbutum comitantibus, vel ab eo, si mauis, excitatis, dicta nobis hactenus sint.

DE HYDROPE SCORBVTICO.

REstat nunc de ijs dicamus, in quibus morbus hic diutius perseuerans, & sub robusta natura paulatim increscens, (adiuuante huc quoq; corporis temperatura & dispositione) crura inflat, & in hydropicum ac renitentem tumorem attollit, & cum his moram trahente morbo, ventrē. Ita vt veterū hydrope tales laborare, doctis etiam medicis videri possint.

Circumscribuntur autem horum plærúq; in inueterato morbo, sæpe manifesto tumore, ex crasso & melancholico succo Epar & Lien. Siquidem non solùm venæ horum viscerum, sed & ipsissima eorum substantia sæpenumero hoc tumore crasso & melancholico sic infarcitur, vt manifesto tumore intuentium oculis foris viscera sese offerant.

Quemadmodum accidisse Senatori Hamburgensi, & alteri cuidam nobili arcium trium præfecto vidimus, & vni ex plebe Embdæ. In Senatore & præfecto præter alia signa, de quibus postea dicemus, morbum sceletyrben non obscuro indicio, labra genæq; subluridocolore suffusæ, demonstrabant.

Qui sic afficiuntur, his à dicto humore crasso & melancholico credibile est primùm viscera affici & debilitari, ab eiusdem vel substantia, vel fumo & euaporatione, seu specifica (quod verisimilius est) pu-

actionis quam conceperunt, qualitate, aut ab his omnibus simul.

Atq; ab hac semel intra se recepta qualitate rationi consentaneum est, facultates eorum lædi, & ad similem impressionem, quæ affecti sunt, alimentis imprimendam disponi; reciprocæ vice aduentantibus ad se alimentis reddentia, quod ab humoribus receperunt. Quæ hac qualitate infecta ac contaminata verisimile est aliquibus aut pluribus suis partibus ineptitudinem quandam concipere, nutritioni corporis incongruam.

Quibus paucis & tacitis incrementis coaceruatis congestisq;, cùm amplius ab innato calore occultari & dirigi non queant, primùm à fortiore naturæ nisu, ad remotiores corporis partes, crura scilicet, deuoluuntur, quibus superfluum amplius non recipientibus, quod residuum est, intra viscera hæret, & tandem à robusta natura ad abdomen & peritonæum eycitur, præduro ac tenso tumore illud attollens, & falsa hydropum veterum specie medicis imponens.

Qui ignari differentiæ, in curatione communi methodo, maximo ægrotantium incommodo procedunt. Quòd communia hydropis remedia, vulgaremq; curationis modum hydropi competentem, adeò hoc malum respuat & contemnat, vt non rarò ab eadem intra medicorum manus præter expectationem ita affecti expirarint.

Quò magis vtile erit differentias quibus discrepant, prius obseruasse, ne in curatione prius impingamus,

mus, & salus ægrotantis nobis elabatur, quàm morbus cognitus fuerit.

Deprehendi autem discrimen potest, cùm ex eos quod à purgantibus difficulter spirent, & quotidiè in deterius prolabantur, tùm extra purgationis experimenta, ex vehementiore respirationis difficultate, cum angustia sub diaphragmate coniuncta. Quæ etiam in morbi initio, nondum premente valdè tumore, grauior his est, quàm in veteri hydrope, aut hydropis ratione esse consueuit.

Nam quod maximè in huius initio conqueruntur, illud præcipuum est, quod plerique horum præcludi sibi aërem, & ad orificij ventriculi regionem coangustari se contestentur. Adeò vt quidam ipsorum erecti spiritum trahant, instar eorum, qui orthopnœa laborant: A crassis flatibus vaporibusq; diaphragmate (quod puto) compresso atq; distento.

Quò fit vt ys discussis, hæc difficultas remittat, redeatq; ijs regeneratis, & rursum, vt prius, ad diaphragma eleuatis. Siquidem in plerisq; quibusdam quasi vicibus res geritur, in initio potissimum, quando non semper neq; continuò infestari eos ab hac angustia videre licet, nisi quum causa mali fortis & instans est.

Si corporibus plethoricis & multo sanguine refertis malum hoc aduenerit, statim etiam subluridò colore tincta labra genæq; apparent, cum peccantis humoris qualitate morbi speciem ostendentes.

Quam à communi quoq; hydrope tumoris quali-

tas, (nam à leucophlegmatia etiam alia signa distinguunt) dirimit & discernit: Quòd in hoc nostro hydrope tumor durior sit & tensior, vt mollis est & laxus in veterum ascite & hydrope.

Ideoq; neq; æquè altam, neq; æquè facilem digiti impressionem, atq; veterum hydrops admittit: Haud dubiè propter humoris melancholici, à quo fit, admixtionem. Quem vt alibi sæpe, sic libro de curatione per sanguinis missionem, Galenus tumorem duriorem scirrhosioremq; efficere docet, vti laxum pituita facere solet.

Hunc tamen pro temperaturarum, atq; redundantium ab his humorum diuersitate rationi consentaneum est, alijs duriorem, alijs laxiorem fore, quatenus alia corpora pituitæ, alia alterius humoris feraciora, de sua natura sunt. Qui dum morbosæ causæ miscetur, in tantum tensionem mollitiemq; variabit, in quantum huic tumori hic vel ille humor permiscetur. Qui tamen nunquam, aut perquam rarò, nec nisi in mollissimis laxissimisq; corporibus, ad eam mollitiem, quæ veterum hydropi familiaris est, accedit, idq; ob crassioris, & melancholici humoris, à quo fit, admixtionem.

Quamobrem impressus his digitus, in aliquibus nullum post se vestigium relinquit, id aliquibus exiguum, paucis altius descendit. Cùm in communi & veterum hydrope notum sit, quas post se foueas ille relinquat. Hanc differentiam à multis ab hinc annis obseruaui.

Ex qua

Ex qua in nobili Batauo, præ cæteris meæ patriæ medicis, hunc morbum cognoui, non sine artis encomio, & ægrotantis, quod maximum est, salutc. Frustra alioqui doctissimis, & non vulgaris eruditionis medicis, curationem hanc ex authorum præscripto persequentibus; qua (quod eorũ pace, ad multorum salutem mihi dicere liceat) penè ad orci fauces æger perductus erat. Quòd ægerrimè sic affectos, (vt obiter particularem huius curationem attingam) purgationes sustinere, maximè in morbi principio, vsus demonstret.

Cæterum medicamentis, incidendi attenuandiq; facultate præditis, misceri debent, quæ erga hunc morbum scorbutum peculiariter valere, aliquoties antea ostendimus.

Quo curationis modo citra purgantium opem, plurimos sanates noui. Siquidem sublatis obstructionibus, venisq; reseratis, vnaq; curato scorbuto, sæpe præter opinionem tumor hic euanescit. Quod si non satis succedat, vbi curatus ex parte vel de toto scelerybe videbitur, tum demum catharticis superfluæ deturbare conuenit, ijs potissimùm & inprimis, quæ proprietate sua humorem melancholicum educunt.

Cuius generis Electuarium Indi vtriusq; est, confectionis hamech, diacatholiconis, & his similia alia sunt, passim authoribus decantata.

Verùm nec illos purgari in initio debere, quibus ex venarum obstructione, & humorum in visceribus coaceruatione, Epar & Lien intumescunt, nisi prius conue-

conuenientibus vnguentis & emplastris, tumor & obstructio sublata sint, ex communi curationis methodo magis notum est, quàm vt hîc moneri illud oporteat.

Semper verò quoties cum his scorbutus occurrit, dictæ qualitatis medicamentis ea miscenda sunt, quæ specificam erga hunc morbum vim & proprietatem habent. Eo sublato communem tunc in eradicandis quæ supersunt vitijs, viam sequi licebit.

Si calor & sitis, atq; febrilis caloris signa maiora adfuerint, ea conuenientibus medicamentis quoq; contemperanda esse, sponte notum est. Quæ tamen eiusmodi esse debent, quæ aliquali incidendi facultate prædita & adornata sunt.

Quibus crassior in venis sanguis redundat, vel quæ consueta sanguinis euacuatio substitit, ijs vena aperiri, & reduci consuetudo intermissa debet, atq; tantum sanguinis mitti, quantum morbi & virium ægrotantis ratione commodum erit.

Obseruatis scopis & indicationibus, de quibus eleganter Galenus, vt reliquis omnibus, libro de curatione per sanguinis missionem, scribit.

Profuit in aliquibus sic affectis hæmorrhoidũ quod memini, apertio, sponte nigri atriq; sanguinis redundantiam effundentium. Quo naturæ beneficio præter alios, conseruata à grauissimo suo morbo, rustica Kedensis fuit.

Si non satis officium suum natura fecerit, & venæ ani turgent, applicari ijs sanguisugæ poterunt. Quod si nec

si nec sic satisfactum naturæ fuerit, vena aperiri sub poplite debet, quod melius est, aut in sinistro brachio è regione lienis. Et si ita casus ac necessitas postulauerit, modicis vicibus sanguis extrahatur, nisi admodum plethoricum esse, & crasso copioso q3 sanguine abundare, ægrotantis corpus videatur.

Alioqui nostra qualicunq3 vt & Doctoris Veieri celeberrimi Ducis Cluensis medici, obseruatione animaduersum fuit, in genere largam sanguinis missionem ægrè hunc morbum perferre.

Quod inprimis notari in locis frigidis & humidis debet, vbi simul frequens crudarum sublimiumq3 aquarum est vsus. Qualia sunt apud nos Frisia vtraq3 tam occidua, quàm orientalis, & plæraq3 Hollandiæ loca, propius ad septentrionalis maris littus sita, in quæ venti humidi & frigidi perpetua ferè nubila inducunt crassa & humida.

A quibus ad frigiditatem humiditatemq3 dispositio aëre, corpora nostra, vt & ab aquis frigidis & crudis, plus satis refrigerantur, vt propterea largiorem sanguinis missionem, in Gallia, Italia, & pluribus Germaniæ locis vsitatam, respuere videantur. Rationi enim consentaneum est, ab his aquis (ne quid de aëre dicam) multos tenues crudosq3 humores, cùm in prima, tum secunda & tertia corporis regione coacernari, quibus sanguis spiritusq3 contaminati, haud dubiè refrigerantur & obtunduntur, ad sui concoctionem longiore tempore, fortioreq3 calore indigentes.

Quæ

Quæ omnia largiore sanguinis missione conturbari, cui dubium esse potest? Vt non absre dictum ab Hippocrate sit, medicum cuiusq; loci, ad quem accedit, victum, aërem, & aquas considerare debere, & his curationem attemperare.

DE HYDROPE VESICALI.

ID obiter admonere hîc volui, cùm peculiarem huius morbi curationem vt ostenderem, tùm etiam ad harum regionum clima eam accommodarem, quam sic affectis prodesse, ratio monstrat, vsus confirmat. Præter hanc hydropis speciem, etiam alia occurrit, nostris regionibus quoq; familiaris, quam à vesicarum toto corpore & qualibet eius parte extuberantium forma, Belgica lingua nostrates Bougwater appellant.

Hanc communis vulgi opinio incurabilem tenet, ideo quòd paucos ab ea conualescere, etiam vulgi obseruatione constet. Siquidem ante hæc tempora nulli medicorum, quod sciam, illius causa & curatio satis cognita fuerit. Vnde non mirari infelicem eius curationem oportet. Quandoquidem quæ veteribus in suis hydropum speciebus descripta curatio est, adeò huic nostræ aduersatur, vt etiam fortissimos apta sit, paucis diebus & hebdomadis prosternere & debellare.

Sicut testem hic (nisi aliorum famæ parceremus) facere virum iuuenem ac nobilem possemus, non ita pridem, cum, hac curationis via, finem adeptum,

quem

quem mox prædiximus, simul ac medicamina præscripta ei in officina videremus. Nam cum ægroto prius semel atq; iterum fueram locutus.

Quod tamen non obtrectandi causa, sed veritatis studio à me scribi, omnibus persuasum velim. Nam mea sorte contentus nulli inuideo. Et debet procul hoc vitium à Christiano pectore abesse. Cuius vnicum studium esse debet, vt collata sibi à DEO dona in publicum ad communem omnium vtilitatem adferat. Sicut de hac re à Diuo Paulo Corinthiorum prima epistola, capite 12. admonemur. Sed & homicidij à quodam accusantur, qui collata sibi à DEO dona dissimulant.

Atq; hæc præcipua mihi scribendi huius libelli causa fuit. In cuius contextu, si veritatis confirmandæ gratia, quandoq; quorundam errata attingere contingat, velim hîc mihi viri docti ignoscãt, sibiq; certò persuadeant, non à malitia sed simplici veritatis studio ea proficisci, in quo etiam neq; nostra dissimulare constituimus.

Sed vt ad institutum nostrum, vnde digressa oratio est, revertar, paucis in hac hydropis specie, sicut attentatum nobis in reliquis huius morbi differentijs fuit, signa notasq; ostendam, quibus à veterum hydrope distingui hic noster queat. Ne cum nostro ipsius & artis turpitudine prius quàm morbus cognitus fuerit, curando impingamus. Quoniam periculi, & calamitatis plenum est, morbum curare omnibus suis partibus non satis prius examinatum & discussum.

Cognos-

Cognoscitur autem ex tribus potissimum, morbi scilicet qualitate eiusq; natura, & moribus, præterea à pulsu et vrina. A morbi verò natura & proprietate hoc modo: Primùm quod prius quàm certas sedes figat, aliquando aliam atq; aliam corporis partem momentaneo tumore & inflatione hic morbus attollat & distendat.

Quod ijs tamen accidit magis, qui ex subtiliore aëre ad crassiorem sese transferunt, aut humoribus præditi sunt tenuioribus, & multis flatibus refertis, præterea victus ratione vsi sunt minus melancholica & crassa. Nam quibus humores crassiores sunt, minusq; vaporosi, in his minus conspicuæ hæ tumorum mutationes sunt; sed his pedes primùm, postea totum quoq; corpus, duro & inæquali tumore paulatim assurgit, varijs tuberibus, sua subinde quasi cute circumscriptis, extra reliquum tumorem extantibus propendentibusq;.

Quæ etsi inguini & scroto familiariora sunt, tamen pedibus quoq; & brachijs, scapulis, dorso, reliquisq; corporis partibus ea adnasci videre est.

Suntq; hæc vt plurimùm dura, semper verò doloris expertia, præter morbum, humoris quoq; qualitatẽ indicantia. Quibus, maiore scorbuti morbi confirmatione, pulsus accedit paruus, & inæqualis. Quem sæpius huic morbo proprium ac familiarem esse, iam antea diximus. Subscribentibus his omnibus vrinis in initio crassis, rubris, & subluuidis, aut varijs, modò rubris & instar Gallici vini rubri claris, modò rubris

& instar

& instar Gallici vini rubri claris, modò rubris & crassis, ac conturbatis, modò crassis, albis & turbidis, & nonnunquam albis & aqueis.

Quæ tamen procedente morbo, non aggrediente amplius morbi causam natura, vt plurimùm cruda & tenues, sicut in reliquis hydropum speciebus conspiciuntur.

Sed & hac nota aliquando cognoscitur, si de præcedentibus signis altius inquiras, quòd ante eius generationem, alia atq; alia symptomata ægrotantem infestarint, huic morbo familiaria, & nulli curationi methodicæ, cui physica ratione debebant, parentia, veluti exempli gratia frequens vomendi conatus, vel variæ & inconsuetæ alui deiectiones, vel sine morbo manifesto diutius continuans languor, aut cum pulsu paruo, crebro & inæquali, oris siccitas vel perpetua, vel à somno tantùm matutino infestans, & diutius absq; sensibili morbo perseuerans.

A quibus diutius commorantibus, facilis ad hunc hydropem transitus est, & huius rursum à veterum hydrope distinctio.

Curatur autem eodem curationis modo, quem supra in priore hydropis specie ostendimus. Quo discuti tumor vniuersalis, & cum hoc extantia hæc tubera solent, nisi morbus nimiùm sit inueteratus. Quando etiam post interiorum curationem, particulari tumoris tuberumq; curatione opus est, ex ijs quæ discutiendi dissoluendiq; facultatem habere prædecessores nostri medici prodidere.

Inter quæ non postremum locum in hoc casu habent absinthium, ruta, artheмisia, chamæmelum, & his simlia alia. Conuenit & ex lupinorum, absinthij, & chamæmeli farina cum oxymelite in pulticulæ formam redacta, & cruribus calida obuoluta pulticula duplicatis aut triplicatis linteis densioribus.

Hac curationis via nuper admodum extra nouam portam Embdanam, cuiusdam acicularij coniugem, quæ menses tres plus minus decubuerat, intra septem dies DEI beneficio sic curaui, vt rursum consueta domi munia obiret, & cibum cum appetitu assumeret, paucis medicamentis porrò integra curatione peracta.

DE ATROPHIA SCORBVTICA.

REstat nunc aliud sæuum huius morbi accidens, quod Latini nutritionis defectum, Græci commodiore vocabulo atrophiam appellant. Quandoquidem ab hoc sæuo malo intra corpus latente, non semel omnem succulentiam carnemq; corporis ita absumi vidi, vt sceleti verius, quàm hominis formam, sic affecti referre viderentur.

Quod à leuissima & latente intus putrefactione, cum hoc morbo concurrente, & specificam hanc humorum corruptionem redolente, ijs aduenire solet, non nisi specificis, & huic morbo accommodatis medicamentis, depellenda.

Cæterum cùm hoc symptoma plurium morborum sequax

sequax comes sit, multa distinctione opus est, quæ atrophiam scorbutum comitantem, ab alijs atrophiæ speciebus, veteribus medicis cognitis, distinguamus ac dignoscamus.

Quod minus difficile erit, si causas & morbos omnes, à quibus fit, memoria teneamus, & his discussis celeri mentis cogitatione dispiciamus, num quæ veteribus cognita causa, à qua sequi ratione physica solet, subsit.

Quod si his examinatis, nulla causa à qua sequi eum veteres dixerunt, subsit, promptior futura inuentio causæ sit, quam hîc scrutamur.

Nam si ex nulla veterum causa ager citra rationem lentè contabescat, quòd in hoc rara esse debeat causa, nemini non notum esse potest. Quæ an scorbuto adscribenda sit, cùm propria cuiusq; morbi & pathognomonica signa, tùm pulsus & vrina monstrabunt.

Nam quæ à puris in thorace collectione, sanguinisue sputo neglecto, suppuratag; pleuritide, nec non acri ad thoracem defluxione, & serosorum biliosorumq; humorum in eo putrefactione, atrophia fit, partim suis signis, partim ab ægrotantis relatione cognoscitur.

Sed nec illa virum in medicina exercitatum latere potest, quæ à viscerum ex inflammatione aut erysipelate putrefactione & abscessu, aut ventriculi vitio fit, humorumq; deprauatorum in eo collectione, quòd de his præter alios, doctissimè suo de medendi methodo tractatu Galenus scribat.

Quæ etiam diarias febres, & continentes malè curatas, sequitur atrophia & hectica febris, facilè quoq; dignoscunt, qui memoria tenent, quæ de his Galenus medendi methodo, de febrium differentijs, & crisibus libris, ac alibi prodidit.

Quæ partim, si de morbi principijs altius medicus inquirat, etiam ab adstantibus, & ægrotante ipso cognoscuntur. Ideo quòd rarò diariæ febres absq; procatarctica causa fiant, & continentes vehementiores sint, quàm vt latere aliquem queant.

Sicut nec illa facilè ignorari potest, quam nobilioris partis inflammatio facit, quam in Epatis inflammatione color citrinus ostendit & iectericius. In Lienis inflammatione color subfuscus & niger, in testibus acutus dolor. Quemadmodum de vno nuper nobis compertum est, ex vnius testis inflammatione, & latente intra scrotum morbo post plures menses, ex grauissimis morbi doloribus, in atrophiam & corporis consumptionem incidente, ex qua post annum medicorum errore, morbum ignorantium, extinctus est.

De tabe dorsali primus Hippocrates scripsit, & post ipsum luculenter insignis nostri temporis medicus, & in morborum dignotione excellenter doctus, Doctor Ioannes Lomnius, suo de obseruationibus medicinalibus libro secundo.

A quo facilè huius atrophiæ notas lector discere potest, ne quid molesta signorum repetitione hîc opus sit, quæ multò rectius apud ipsum authorem leguntur loco & libro citato.

Hæ qui-

Hæ quidem atrophiæ ſpecies, cùm propriis ſignis, paſſim à medicis deſcriptis, non difficulter dignoſcantur, quædam etiam cauſam manifeſtam habeant, in ſenſus & oculos incurrentem, non difficilem diſtinctionem habent apud eos, qui in veterum recentiorumq; authorum lectione ſunt exercitati.

Quarum ſi nulla ſubſit, atq; æger nihilominus citra manifeſtum morbum veteribus cognitum, lentè contabeſcat, primùm tentandus pulſus eſt. Qui ſi paruus, debilis & inæqualis fuerit, hectico diſſimilis, habes ni fallor aliquod ſtratum tibi ad morbi inuentionem fundamentum, à quo ad reliquorum ſuperſtructionem, nullo negotio deduci poſsis.

Cui ſi vrina craſſa & ſubliuida, vel citrina & ſubfuſca reſponderit, propius ſic ad morbi cognitionem accedes. Eoq; plus, ſi cum his anxietates ad præcordia per interualla infeſtantes, aut in toto corpore & cruribus efflorescentes maculæ nigræ & citrinæ apparuerint. Quòd his notis & ſignis, etiam lippis & tonſoribus hodiè hic morbus cognitus ſit.

Accedit hac atrophia laborantibus ſæpenumero totum corpus languere, ipſisq; ægrotantibus videri magis languere ſe, quàm certo aliquo morbo detineri, vtpote qui de nulla re magis quàm corporis languore conquerantur, multo animi dolore, membra tabefacta monſtrantes, certæ mortis & ſepulturæ præſagium, tacitè, quod ſciunt, continentia.

Huius curatio, quia paucis quoq; ad hæc vſq; tempora innotuit, & à plærisq; medicis ob corporis con-

sumptionem in oculos incurrentem, magno errore & aegrotantium periculo, humectantibus refrigerantibusq; attentata fuit, visum propterea nobis fuit, operæ precium nos facturos esse, si, quæ ad curationem huius symptomatis pertinent, prolixius persequamur. Quòd graue malum hoc sit, & pluribus apud nos, hoc tristi rerum statu, familiare.

A quo cum hæc scriberem, intra triduum duo è medio sublati fuere. Et plures in agro grauiter periclitati sunt. Inter hos fuit vnus præclaris ingenij dotibus ornatus, Dominus Hector ab Oldorsum, nobili genere, & honesta stirpe prognatus, qui propter excellentia dona, eiusq; in Republica illa authoritatem, longiore vita dignissimus fuerat.

Quod hîc propterea admonere, & hoc loco inserere volui, vt ab his exemplis, quàm necessaria huius rei consideratio sit, eò plus admoneremur, & ad curationis inuestigationem excitaremur.

Quæ vt in reliquis morbis, ita hîc quoq; à causæ mali cognitione ac remotione dependet, quæ diuersa in hac atrophiæ specie est, ab ea ijsúe, quæ cognitæ veteribus fuerunt.

Nam in omnibus ferè veterum atrophiæ speciebus, malum illud miseris mortalibus ab æstuante calore aduenire solet, cordi infixo, vel aliunde ad cor accedente.

Quod in hoc nostro nutritionis defectu, potissimum à fumis vaporibusq; fit, à putrescente intus, & in prima corporis regione materia melancholica, crassa,

crassa, & frigida, vel aquea, & cruda, sed hac specifica putrefactione scorbutica infecta, multa copia eleuatis. Quorum continua euaporatione & copiosa, (sicut de aliys huius morbi symptomatibus demonstrari posset) cordis calor modicis incrementis adauctus, assurgit, & præter naturæ modum accenditur, sed adeò lento & gliscente propter causam morbi frigidam calore, vt vix nisi longiore temporis mora, ab effectu percipi possit.

Qui arteriys, & per consequens toti corpori communicatus, sæpe post plures menses & annos, hunc (quem dixi) effectum producit, citius aliquando, aliquando etiam tardius, prout maiore minoreue copia, administratæ sic affectis causæ adiuuantes, & morbum eiusq; causam adaugentes fuerint. Qui de sua ipsius natura, propter morbi causam frigidam & crassam, partim ab aquis crudis, partim ab aëre frigido & crasso, victuq; melancholico & crasso, collectam, tardus est & lentus, nisi ab extrinsecis, vt dixi, adiuuetur.

Ex quo, quæ sit in his curandi ratio facilè intelligit, qui saltem aliquem medicinæ vsum habet. Quæ in legitima sex rerum non naturalium administratione consistit, adhæc conuenienti potionum ac medicaminum vsu, præter peculiarem huius morbi curationem, tenues & crudos, vel crassos frigidosq; humores, de sua natura concoquentium, attenuantium, & incidentium. Quatenus crudorum, humorumq;

melancholicorum, non multùm dißimilis, ſi veterum placitis credimus, curatio eſt.

Quæ quomodo pro corporum, ac morbi cauſæ diuerſitate varianda ſit, à medendi methodo docemur. Cuius exacta quantitas omnibus accommodata, cum infinita ſit, à nullo determinari ſatis poteſt, ſed cuiuſq; iudicio conſideranda relinquitur.

Quæ autem ſint, quæ cum peculiari huius morbi reſpectu, craſſos crudosq; humores incidunt, ſupra diximus. Sed nec hîc repetere ea pigebit. Quandoquidem vti ſuprà ex Rondeletio clarißimo noſtri temporis medico admonuimus, mercatores non piget, circa pecuniam calculum ter quaterúe repetere.

Itaq; quæ ad hunc caſum probata mihi ſint, prædictas facultates poßidentia, inter cætera numerantur, carduus benedictus, abſinthium romanum, cochlearia, trifolium aquaticum, becabunga, naſturtium vtrumq;, & ſi humor adſit melancholicus, maiorq; venarum obſtructio, cuſcuta, ceterach, ſcolopendria, epithymus, bugloßa, polypodij quercini radices; vel ſi plures fuerint humores crudi & aquei, Enulæ campanæ radices, hyſſopus, betonica, cinamomum, macis & alia his ſimilia. Quibus feliciſſimè D E I gratia curatio procedit.

Sed & victus eſſe debet calefaciens, attenuans & incidens. Vitentur angue peius aquæ patriæ crudæ, ſalſæ, & ſublimes, præterea quæcunq; cum his, vel ex his parantur. Sunt & alia huic morbo conuenientia remedia, eleganter Doctori Ioanni Vetero, ſuo de

ſcorbu-

scorbuto libello, conscripta, vnde depromere quisq; poterit, quæ ad huius curationem pertinere putabit. Ego vsitata & probata mihi pono.

Si tussicula (vt aliquando ex destillantibus ad pectus catarrhis fieri solet) adfuerit, pectus exasperans, prædictis aliquid hordei mundati, & paucas tuiubas, ac liquiritiæ modicum addo, vel pillulas bechicas ægrotanti exhibeo, ex tragacantho in vino præstantissimo dissoluto, & cum amylo ac saccharo in massam trochisco redacto.

A quibus si non satis mitigata tussis videbitur, & somnum illa interturbat, fuerintq; ad pectus delabentes humores tenues, etiam ad cynoglossæ pillulas, nullo ægrotantis incommodo, deuenio.

Si expectorantibus opus fuerit, sintq; humores crassi & viscidi, ijs vtor, quæ incidendis educendisq; crassis & viscidis humoribus, authores præscribunt.

Nam cum causa morbi frigida sit, à multùm refrigerantibus hîc abstinere oportet. Sæpe etiam si morbus sit diuturnus & longus, ad duodecimam hebdomadam & vltrà curatio extenditur, iuxta illud Ioannis Manardi, quo longos morbos longam curationem habere scribit.

Solet tamen prædictis semper, quod sciam, curatio obtemperare, ac citius & melius verno & æstino tempore, quam hyberno. Quando à frigore cauere sibi ægrotantes debent, quòd illud huic morbo inimicissimum esse, quotidiano vsu experimur, maximè si Boreas spiret.

Vinum Gallicum rubrum quandam erga hunc morbum proprietatem habere putatur, eſq; plus Rhenenſi nutriens, commendatur & lac caprinum ſtomacacæ.

Quod meo iudicio efficacius, & huic ſymptomati conducibilius erit, ſi huic lacti thymus incoquatur, & poſt concoctionem croci paululũ huic miſceatur, cum modico melle vel ſaccharo, ne in ventriculo coaguletur: Eritq; adhuc meo iudicio huic malo accommodatius, ſi ijs, quæ ad hunc morbum proprietatem habent, herbis & ſimplicibus, aliquandiu ante lactis vſum capræ alantur, ſicut in œſophagi exulceratione factum legimus à Galeno, et in calculi præſcriptionibus vſurpari videmus à modernis, in hœdini ſanguinis præparatione.

Quæ autem obijci ad hunc vſum capris poſſunt, hæc ſunt: folia acetoſæ, naſturtij hiemalis & aquatici, trifolij aquatici, becabungæ, cochleariæ, nummulariæ, raphani ſylueſtris, & tenuis herbæ ſecalæ, aliorumq; folia & flores, vſu & experientia huic morbo probatos.

Atq; hæc de atrophia quam ſcorbutus facit, dicta nobis hactenus ſint. Qui poſt nos maiore ingenij felicitate præditi, manifeſtiorem huius, & omnibus magis obuiam, à veterum atrophiæ ſpeciebus, diſtinctionem nobis dederint, ijs gratiam habebimus omnes.

Si quid etiam mihi incidat, quod certiore ſigno & magis omnibus noto, ab alijs atrophiæ ſpeciebus, hanc noſtram diſcernat, id quoq; in medium adducam.

tam. Interea iam dicta lector boni consulat rogo, & quo à me animo dantur, eodem accipiat peto. Quæ etsi ob styli ruditatem atq; inelegantiam luce indigna sunt, magisq; indocta, quàm quæ doctorum manibus contrectentur, aut contrectari mereantur: Attamen quia vsum non vulgarem hoc tristi nostro tempore habent, & ante me nemo extitit, qui absolutum quid (quod sciam) de hoc morbo pertractarit, & in publicum dederit, malui insciti am meam prodendo, indocti nomen, quàm vtilia celando, inuidi crimen subire. Quod hoc malitiam simpliciter habeat, illud etiamsi sit ἀκουσίον, tamen cum publico bono coniunctum esse, omnes boni mihi attestabuntur.

Maleuolorum iudicia peruersa, & obtrectationes, vt semper, ita hodiè quoq; contemno & aspernor, fretus conscientiâ recti. Sed de his fortè plura, quàm oportuit, sæpe diximus. Quare his omissis ad institutum reuertemur, ad ea quæ restant, pergentes.

DE VLCERE ET GANGRÆNA DIGITORVM PEDIS.

INter quæ reliquum aliud malignum ac sætum huius morbi accidens est. Quod etiam doctissimus vir, omnium artium & disciplinarum, linguarumq; cognitione excellens, Doctor Peucerus, & clarissimus nostri temporis medicus Doctor Ioannes Veierus, obseruasse videntur. Quod ego primùm vidi quale fuerit, paucis hîc describam.

Incipie-

Incipiebat autem circa tali pedisq; extremum, multis nigris & purpureis maculis, scorbuto, sicut antea dixi, familiaribus. Quarum vna summo pede non procul à pedis digitis, exulcerari crustoso vlcere, cum pustula citrina, cœpit, quæ parùm supra maculam illam extabat. Et non ita multo pòst in vlcus gangrænosum, siccum, neq; pus neq; saniem reddens, degenerabat, vtcunq; turundis ac splenijs id chirurgus moliretur.

Quotidiè serpebat latius. Et quod ante vlcus membrum erat, pes scilicet supremus, mortuum cum pedum digitis apparuit, ita vt ægrè & vix immissum ferrum æger sentiret. Reliquæ quæ circumstabant, maculæ nigræ, absq; exulceratione perstiterunt.

A quibus secundùm tibiæ longitudinem plures lineæ, septem in vniuersum vel octo, ni fallor, pellucidæ & saturatæ rubedinis ascendebant, non secus atq; si rubrâ cretâ ductæ fuissent, tenuem & cholericum sanguinem intra se continere, vel ab hoc procreatas se esse, demonstrantes.

Erat enim ægrotantis temperamentum cholericum, & multo sanguine cholerico redundans. Eratq; facie ruffus æger, præterea clarâ & nobili familia natus, & aliorum perfidia, meliore fortuna, vt postea intellexi, detectus. Quæ res haud dubiè tacitè senem cruciauit, maximè in suo coniugio, quod in senili ætate primùm inierat, vel prolum causa, quas senex ex coniuge susceperat.

Hic cùm primò eum viderem, vrinas reddidit instar

star vini Gallici, rubras & claras, quibus totâ earum superficie multa densa & citrina spuma innatabat, sed absq; vlla siti aut potus desiderio. Hæ in morbi progressu magis luidæ magisq; subfuscæ, cum eadem spuma, totam vrinæ superficiem, vt dixi, tegente, apparuerunt.

Pulsus paruus, debilis & inæqualis vix digitis percipiebatur. Mortuus autem æger duodecima morbi hebdomada propter morbi ignorantiam est. Quòd, vt verum fatear, nondum tum cognitus mihi satis hic morbus, eiusq; curatio esset.

Cum ego ei adessem, æger pedis demortui præcisionem rogabat. In quo consentire nolui, quòd totum corpus præterea malè affectum vrinæ monstrarent, & quòd septuagesimum ætatis annum æger impleuisset, eiq; actioni omnes eius cognati aduersarentur.

Qui extra hunc morbum partium mortificationem senserunt, ijs subitò, & cum frigoris sensu illud aduenisse meminit, & alios post biduum mortuos fuisse, sicut rustico accidit; alios post horam, quemadmodum Superintendentis quondam Hamburgensis Ioachimi VVestphali coniugi euenit.

Quod etiam de quodam Antuerpiensi eodem tempore Dominus Licentiatus Carolus Battus, vir integræ fidei nostriq; amantissimus admonuit. Cui adiunctus in hac curatione collega, quasi in ipso mortis articulo fui. Vt propterea hac nota & differentia fortè, hæc nostra mortificatio distinguenda ab ea sit, quæ sanguinis virus, vel alias sequitur causas cum membro ægro-

bro ægrotantem subitò perimens & occidens. Cùm hæc nostra paulatim, & post longius interuallum id faciat.

Sed de his aliorum esto iudicium. Nos enim huius causa id proponendum putauimus, vt diligentius huic considerationi doctiores post nos incumberent: Interea certiores esse notas et diagnostica signaiudicamus, quæ pulsus & vrina monstrant. A quibus nullo negotio distingui & agnosci ab alijs morbis sceletyrbe poterit. Ab ijs dico, qui vel hæc nostra diligenter legunt & obseruant, vel alioqui aliquam huius morbi cognitionem pleniorem habent.

Huic simile & affine malum est, quod Hamburgi olim in eius oppidi ciue conspexi. Quod cum tumore ingenti ad elephantiasim accedente præter dimidiam faciem, & magnam ceruicis partem, nasum & labia vtraq; occupabat, aspectu horrendum, adeoq; tetrum, vt citra horrorem nemo intueri ægrotantem posset. Siquidem præter dictam facici inflationem, nasus liuidus erat, labia prætumida & nigra, oculi prominentes, præterea subluridò & fusco colore palpebræ tinctæ, & varijs pustulis variegatæ.

Hæ serpendo quotidiè latius, per totam ferè faciem dispergebantur, subiectas carnes erodentes, & circa tempora in vlcus nigrum, tetrum, malignum, ac glomerosum, quod carcinoma Græci vocant, desinentes.

Notum enim cùm ex alijs authoribus, tùm ex Marcello Virgilio est, doctissimo Dioscoridis interprete.

prete, carcinomatis generationem, ex melancholico humore, cùm referbuit, fieri. Cuius de natura huius verba eleganter secundo commentariorum in Dioscoridem libro descripta, huc adferre placuit, quæ sic ad verbum habent:

„ Graue hoc malum est, quod nec discuti, nec „ diuelli potest, nec corporis purgatione minui. Sed „ tam malefici ingenij est, vt mitiora remedia negli- „ gens asperioribus irritetur, neq; ante exulcerati- „ onem alia spes est, quàm vt differatur exulceratio „ & incrementum.

Ibidem idem quoq; author ad remorandam eius exulcerationem, quædam Dioscoridis medicamina simplicia examinat libro citato, capite 1.4.70.

Hoc malum ægrè curationem admittere, etiam clarissimi quidam nostri temporis medici iudicarunt. Itaq; quæ felici experimento, & nostra qualicunq; obseruatione & inuentione, probata nobis ad hunc vsum medicamina sunt, in medium adferre non grauabimur. Ita tamen vt suum cuiq; maneat liberum de hac re iudicium.

In hoc posteriore, in prædicto vlcere nigro & crustoso, felici successu vsi sequenti medicamento sumus, quod constat ex resina, olibano, & oleo rosaceo in vnguenti formam redactis, splenijs quibus illinebatur, in vino Rhenano prius intinctis.

Quo breui ad suppurationem separationemq;, & puris generationem, vlcus hoc perductum fuisse vidi. Sicut in altera decem annorum puella, sequens profuisse,

profuisse, experti sumus, quod domi parentes ipsi nostro iussu ex oleo rosaceo, oui vitello, tritici farina, olibano, et paucissimo melle parabant, splenijs illitum, quod crustoso & nigro vlceri imponebant.

A quo intra dies plus minus quinq; vel sex, nigrum hoc à sana carne separatum excidit; Reliquam vlceris curationem porrò communi & methodica curatione sarcoticis perfecimus. Hanc curandi hæc vlcera rationem, etiam Hippocrati placuisse, tertio de fracturis libro legimus. Vbi apertè ostendit, nigrefactas partes mollibus medicamentis, non acribus ad suppurationem & separationem perduci debere.

Quapropter nigrefactæ tàm carni, quàm cuti aut neruo, album ceratum Hippocrates illinit. Quòd, vt ipse dicit, curationem ambustis similem talia postulent & petant, sicut latius ac melius loco citato apud ipsum lector cognoscet.

Eandem quoq; curandi hæc vlcera rationem Galeno placuisse 14. medendi methodo legimus, vbi medicamina mordacitatis expertia hisce affectionibus nigris & crustosis commendat, ideoq; ex metallis ea lotis & vstis parari iubet, quòd ab acribus hanc exulcerationem irritari, ipse quoq; de sua experientia comprobauerit. Quemadmodum latius hæc legi apud ipsum authorem possunt.

Qui in facie hoc malo laborabat, ille neq; delectum ciborum, neq; vllum in ijs ordinem seruauerat, sed promiscuè vti sese obtulerant & sine discrimine, duros & infumatos ingesserat. Huius vrina dum adhuc

huc obambularet, visæ sunt nigræ, crassæ, & ex pallido subliuescentes, ac turbidæ semper.

Pulsus decumbenti durus erat, præterea serratilis & inæqualis, & propter febris admixtionem iusto altior. Morbus verò, quantum ad sensus, mitis. Sitis nulla & perquam exigua, putrefactionis notis, quas vrina monstrabat, minimè respondens, non fallaci huius morbi, sicut prius ostendi, argumento.

DE FEBRIBVS PESTILENTIALIBVS ET EARVNdem tumoribus.

EST hoc malum apud Embdanos frequens, quod imperitum chirurgorum ac practicantium ibi, vel medicinam facientium vulgus, pestis indicium esse dum arbitratur, theriacæ aliorumq; calefacientium medicaminum (pro conseruatione à peste magis, quàm curatione excogitatorum) vsu & exhibitione, curationem magno ægrotantium incommodo, ac certo vitæ periculo molitur, febrem his adaugendo, & insuper sanguinem adurendo.

Cùm à peste hunc morbum, præter symptomata mitiora, quibus quandoq; se prodit, facilè pulsus, & aliquando vrina discernat.

Quæ in aliquibus vari. occurrit, modò tenuis, modò crassa, & conturbata, & multo quasi sabulo in fundum subsidens, vario & dispari sedimento conspicua: cum qua pulsus paruus & debilis apparet,

contrarius putrefactionis indicijs sæpe, quæ vrina demonstrat.

Etsi etiam in aliquibus durus & serratilis subinde ille sentiatur, instar illius, qui in pleuritide, & membranarum inflammationibus percipitur. A quo nos nuper in duabus puellis, primâ manus nostræ ad pulsum applicatione, statim hunc morbum cognouimus, cùm peste eas laborare, persuasum omnibus domesticis esset.

Cœperunt autem eodem tempore in ijsdem ædibus ambæ simul ægrotare, ancilla cum duobus in inguine tumoribus, & filia præter alterius inguinis tumorem, nigra & crustosa macula ac vlcere, mediam ferè tibiæ regionem occupante.

Vnde de peste opinio adeò fortis parentum animis impressa fuit, vt nullo nostro sermone euelli ipsis ea in initio potuerit. Quam tamen post triduum procedens iuxta nostrum prognosticum curatio remouere cœpit, & post septimum diem planè eradicare.

Fuit hæc puella filia cuiusdam nostratis Frisii occidui Regneri Cornelij, olim Consulis Bolsuerdiensis, nunc verò Embdæ, propter belli turbas exulantis, cuius & ancilla erat. Quem nominare hîc volui, quò magis fidem omnibus facerem, nihil præter comperta, vsuq; probata, hîc me affingere, qui sicut antea dixi, nihil in hoc libello asserere constituì, non multiplici nostra experientia comprobatum.

Similibus tumoribus duris, renitentibus, doloriscq; plenis, cum nauſea multa, multisq; ex interuallo re-

curren-

currentibus anxietatibus, & febre ac siti, vrinisq; citrinis in initio & tenuibus, correptæ aliæ duæ fœminæ Embdanæ fuerunt. Quarum vna ciuis primarij filia, altera Groningana fœmina erat, aromatarij coniunx, quæ Embdæ ad Delpht plateam, vt vocant, habitat.

Qui præter has, iam dictis tumoribus correpti ibidem fuere, in horum plærisq;, præter dicta symptomata, à peste hanc febrem distinguebant rara quædam signa, scorbuto morbo magis, quàm pesti conuenientia.

Cuiusmodi, exempli gratia, neruorum resolutio imprimis est, in quam etiam cum hac febre, atq; cum his tumoribus incidisse nonnullos memini. Siquidem adolescentem noui, cum colli ab hoc morbo tumore, ilico quoq; linguæ vsum amisisse, maiore huius morbi (vtpote qui neruis infestissimus est) quàm pestis indicio.

Sed & anxietatibus, quas ad præcordia infestare diximus, plerisq; omnes, quos hac affectione laborare noui, infestati fuere. A quibus nonnulli, etiam præter spem & expectationem ilico suffocati, periere.

Atq; hoc symptoma etsi pestilentialibus febribus quoq; familiare esse consueuit, est tamen in ijs magis continuum, minusq; interruptum, propter diuersam morbi sedem, quæ in peste præcipuè cor esse putatur, vt in scorbuto inferior venter & lien. Vnde varij ad cor & diaphragma vapores exhalãt, prædictas anxietates causantes. Atq; ab hac causa ãxietates hæ, sicut

& vomitus cum hac febre incidentes, magis interruptæ sunt, quàm in peste eas esse videmus.

Quibus maiore huius morbi certitudine accedit, quòd minus grassantes, & paucioribus communes hæ febres, quam pestilentiales esse solent. Quæ quòd magis publicæ sunt, magisq; in populum grassantur, Græcis dictæ ἐπιδήμιοι sunt.

Cùm hæ nostræ cum scorbuto coniunctæ, vel ab eius (si mauis) putrefactione specifica excitatæ, sæpe ad vnam atq; alteram familiã tantùm constringantur, in eaq; non omnes, sed propter vitæ victusq; errorem, ad hunc morbum magis dispositos, apprehendat. Quod diligenter considerari hic necesse est, ab eo, qui inter has febres rectè sit distincturus.

Alioqui pluribus, quibus inter se colludunt, signis, facilè practicantium oculos & mentem obfuscant. Quandoquidem non solùm prædictis tumoribus anxietatibusq;, sed & vomendi conatu, & pari, ob materiæ crassitiem, aut obstructionum venarum magnitudinem, vrinarum laudabilitate, sicut & sitt, nec non molestæ linguæ labiorumq; ariditate, vt & morbi propagatione, & nigris crustosisq; vlceribus, sibi inuicem assimilantur; Vt propterea acuto & sagaci medico opus sit, qui inter has febres ritè sit distincturus, neq; mirari de his hanc symptomatum similitudinem oportet, cùm vna vtrobiq; virusq; causa materialis esse putetur.

Nam si clarissimo nostri temporis medico Guilielmo Rondeletio credimus, videbitur ex crasso & melan-

melancholico sanguine putrefacto, pestis generatio esse. Qui sanguinem nostrum incendere, conturbare, inficere, & ad putredinem venenositatemq; disponere creditur, sicut canicula tempore vinum ebullire & conturbare facit fex ad superiora excitata.

Vt non absre humorum pessimus dicta Galeno melancholia, libro de febrium differentijs & alibi sit. Siquidem fex & sordicies sanguinis, à principijs vitæ quàm longissimè elongata est, liberalitati inimica, & senio ac morti cognata. Nullus etiam humor plures ac magis varias affectiones inducere solet atq; melancholia, cùm propter locorum, quæ occupat & insedit, diuersitatem, tùm propter varias eius qualitates, & generationis modum. Qui facit vt alia naturalis, alia non naturalis sit, prout per aduſtionem ab hoc vel illo humore generatur.

Illa igitur cum tàm pestis, ex Guilelmi Rondeletij sententia, quàm scorbuti recentiorum authoritate, materialis vtriusq; febris causa sit & origo, solâ putrefactionis specie tantùm differentium, quid mirum, si pluribus, indifferentibusq; signis & symptomatibus, inter se colludant concertentq;.

Est tamen distinctio necessaria propter curationem, quæ propter specificam vtriusq; & differentem putrefactionem, alia in peste, alia in scorbuto est. Quemadmodum diuersæ curationi subiacet putrefactio morbi Gallici, diuersæ & alij, ea quæ Elephantiasis & lepræ est.

Et vtcunq; pluribus signis cum sceletyrbe Gallicus mor-

cus morbus colludit, doloribus scilicet iuncturarum sub noctem ingraueſcentibus, tumoribus duris, neruorumq; contractione, aliam tamen curationem hæc in ſceletyrbe, aliam in Gallico morbo requirunt, quatenus non vna vtrobiq; cauſa, aut putrefactionis ſpecies eſt.

Quæ vt in Gallico morbo ligni decocto, ita in ſcorbuto cochleariæ, & ſimilium, hunc morbum à proprietate curantium, exhibitione tollitur & remouetur.

Atq; ad hunc quoq; modum ſe res in hiſce febribus habet, vtcunq; ſignorum ſimilitudine eandem morbi ſpeciem mentiri ac repræſentare videantur.

Quomodo autem ſignorum ſimilitudine ſe inuicem repræſentent, paucis exemplis oſtendemus, quò dilucidior res fiat, & magis omnium oculis exponatur.

Nuper cum hiſce ſymptomatibus ad peſtem colludentibus, correpti duo viri, & vna puerpera ab hoc morbo fuerunt. Quorum alter Groninganus nobilis & claſſium præfectus, alter Antuerpianus fuit, puerpera indigena & Embdæ (quod puto) nata.

Inceperunt autem cum citrinis & tenuibus vrinis multo æſtu, & æſtuante intus calore, omnes hi febricitare, cum multa ſiti, & maiore labiorum linguæq; ariditate, adeò vt claſſium præfecto, ſi vel minimum à potu ſibi temperaret, maximis, & ad minimi digiti latitudinem, fiſſuris, labia linguaq; diſſecarentur & diſſilirent, quæ rurſum (quod admiratione

dignum

dignum) à largioris potus assumptione, ilico coaluerunt.

Interea exterioribus frigebant, & anxietatibus omnes laborabant grauissimis, ita vt ab his sapè supra dimidiam horam puerpera, grauissimis animi deliquijs correpta, quasi semimortua iaceret. Quod etiam in morbi initio, post leuissimum motum Antuerpiano aduenit.

Attamen vtriq; in his deliquijs pulsus arteriarum fortior videbatur, quàm alioqui extra deliquia in morbo ipso. Præfecto classium ad cætera signa quoq; delirium accedebat. Eratq; cum his signis pulsus omnibus paruus & inæqualis. Quæ omnia malignæ & pestilentialis febris signa esse, quis ignorat?

Qualia & illa quoq; fuerunt, quæ cum hac febre concionatori Embdano, viro perhumano & docto aduenerunt, ad pestis symptomata, prædictis propius adhuc accedentia. Qui etiam febricitare cum grauissimis ventris torminibus cœpit, & ijsdem ad præcordia anxietatibus, nec non æstuante interiorum calore, exteriorum frigore, præterea & inexplebili siti, ac infesta linguæ labiorumq; ariditate: Sudabat multum, sed è corpore exiens sudor, adeò fœtebat, vt intolerabilis odor ad lectum adstantibus esset.

Circa faciem & pectus variæ subindè efflorescebant maculæ purpureæ & subnigræ, vel potius subliuidæ, eadem facilitate, qua erumpebant, euanescentes.

Quæ omnia pessimo indicio delirium adaugebat,

per interualla tamen magis, quàm continuò eum infestans. Hanc febrem pluribus signis cum pestilentialibus & malignis febribus communicare, nemo medicorum ignorat.

A quibus hanc tamen post quintum, ni fallor, diem, febris intermissio distinguebat. Quam salutarem in Aphorismorum libris Hippocrates dixit, quocunq; modo fiat.

Curati autem omnes DEI gratia ijs medicamentis sunt, quæ, cum scorbuti morbi eradicatione, obstructiones tollunt, humoresq; crassos & melancholicos concoquunt & incidunt.

De quibus quia dictum nobis alio loco est, nihil necesse est, eadem hîc cum legentis tædio repetere.

Cum similibus symptomatibus ab his febribus correptæ, Groningana, & Embdana filia, fuerunt, quibus post quintum vel sextum, si rectè memini, diem, ad femora tumores duri & rubri doloris pleni, eruperunt. Quæ etiam his ipsis medicamentis curatæ intus sunt, tumoribus localibus discussis sublatisq;. Qui in Embdana filia, chirurgi operæ sublati curatiq;, post plures hebdomadas fuere.

In Groningana aromatarij coniuge, Embdæ ad Delpht plateam habitante, sequenti experimento, hisce tumoribus accommodatissimo, quod in duobus ac tribus diebus, omnem hunc tumorem & duritiem discutit ac tollit.

Caput autem absinthij communis pulueris quantitatem sufficientem, quæ ouis recentibus eodem die exclu-

excluſis, cum albumine, vitello, & oui teſtis conquaſſatis, & minutiſimè contuſis, ad pultis conſiſtentiam permiſcetur, frigidaq; tumoribus præſenti vt dixi remedio, applicatur, cuius effectum in his & ſimilibus, vtcunq; vile & facilè parabile medicamentum videatur, admireris.

Illud autem in hac curatione animaduerſione dignum eſt, ſcilicet minutæ curationis indicio fieri, quoties cum medicaminum ad hunc morbum pertinentium exhibitione, vrinæ tenues cum morbi manent incremento. Vel cum craſſis & ſubſidentibus, nihil morbus remittit.

Ideoq; fortiora, & fortius incidentia ac attenuantia, quæ hunc morbum concernant, medicamenta deſiderari, quibus morbi radix præcidatur.

Atq; hæc dicta nobis quadam orationis conſequentia de his febribus ſunt. Quæ propoſita à nobis propterea ſunt, vt alijs nobis doctioribus cogitandi diligentius occaſionem præberemus. Nunc quæ de horum curatione relicta nobis ſunt, paucis perſequemur.

Inter quæ primum mortificatio eſt, quam cum, & ſine cruſtoſo ac nigro vlcere incidere, & cum eo aduenisſe præclariſſimi Ducis Ottonis Domini mei clementiſſimi hoſpitij Magiſtro, antea diximus, quoque feliciter tolli & curari poſtea in ſimilibus ſimo vaccino vidimus, ſi quotidiè bis renouatum, affectæ parti accommodetur.

Fit quoq; paulatim aliquando hæc mortificatio, aduenitq; vel vni vel pluribus corporis partibus, ſicut

in vtroq; crure ciui Embdano accidit, & in brachio altero tributarij Embdensis ancillæ. Quæ eidem quoq; curationi subiacet & paret, cui prior, nisi quòd vtrobiq; ob morbi, & causæ morbi frigiditatem, absinthij pulueris, nec non piperis, ac seminis sinapis partem, rectè adhiberi posse putem.

DE ERYSIPELATE.

Fit præterea huius morbi indicio (sicut nostra qualicunq; obseruatione animaduersum sæpenumero fuit, & multiplici nostra experientia comprobatum) phlegmonis seu inflammationis specie efflorescentia rubea, quamlibet corporis partem prout hanc vel illam magis imbecillam sic affecti habent, apprehendens. Quam, quòd rubeo roseoq; colore cutem plærunq; suffundat, vulgus nostras communi & vernacula nostra lingua, die Rooß appellat.

Estq; hoc malum quoq; nostris hisce regionibus frigidis, propter prauas aquas corruptam qualitatem sanguini nostro inducentes, pluribus, quàm velim & optem, familiare. Quod nonnullos aliquando ferè perpetuò, nonnullos post singulas hebdomadas & menses, aliquando post trimestria spacia plus minusue infestat, pro causæ, & concurrentium atq; adiuuantium extrinsecus causarum magnitudine, ac maiore minoreue congerie.

Cæterum hanc affectionem ab hac sanguinis putrefactione, quæ scorbuto competit, procedere, præter pulsum & vrinam morbi mores, humorumq; qui

ea cor-

eâ corripiuntur, temperamentum & constitutio denotat & demonstrat.

Quandoquidem non semper plethoricis & sanguineis (vt veterum phlegmone) aut alioqui sanguinis copia laborantibus, hæc efflorescentia contingit, sed etiam ab hac constitutione quàm longissimè remotis. Certissimo argumento, magis à deprauata sanguinis qualitate, quàm eiusdem copia & plethora, malum hoc prouenire & originem suam ducere.

Quæ an cum specifica huius morbi putrefactione consentiat, eiusdemq; cum ea qualitatis sit, porrò ab vrina & pulsu, ac morbi moribus discimus: Sintne talia hæc, cuiusmodi ea huic morbo competere, pluribus antea demonstrauimus. Nam si pulsus occurrat paruus & inæqualis: & dispari subsistentia, vel varia in initio vrina, seu crassa & conturbata, aut tenuis, & quibusdam rotundis corporibus cineritijs aut rubris, in fundum subsidentibus, vel cum his turbida etiam vrina & conturbata, habes ex his euidentia huius morbi signa, quæ de hoc morbo te confirmare possunt.

Sed & facilis eius in quibusdam, præsertim iunioribus de loco ad locum commigratio, certò tibi persuadere debet ac potest, cum hoc morbo malum hoc communicare, vtpote quod magis ab halitibus vaporibusq;, ab hoc morbo & putrefactione resolutis, quàm simplici humorum ad partem affluxu hac fieri, certa ratione conuincat.

Quibus, sicut pluribus ostendi & probari possit,

hæc

hæc materia vt plurimùm abundat, eaq; ratio est facilis arthritidis huius permutationis, aliorumq; qui subitò ab hac putrefactione eueniunt affectuum. Atq; ab hac facili & momentanea, de loco ad locum huius affectionis commigratione, nos primùm cogitare ausi fuimus, ab hoc quoq; morbo hoc symptoma prouenire. Quod postea curatio confirmauit, quam millies ferè hîc, si ita dicere licet, fumus experti.

Quam in hac specie, vt reliquis huius morbi differentijs, plurimùm pro ratione aquarum, victus, & aëris, in quo sic affecti viuunt, variari comperimus.

In quibusdam (vt hoc obiter addam) etiam plurium dierum ante eius eruptionem, horrores, etiam à veterum phlegmone, hãc efflorescentiam distinguunt. Etsi sufficiant ad denotandam mali causam, quæ ab vrina & pulsu indicia sumuntur.

Quibus si reliqua consentiant, pluribus ad instituendam rectè curationem confirmaberis. Quæ hic eadem est, quæ in reliquis huius morbi speciebus, habita humorum concurrentium, temperamenti, aëris, victusq; præcedentis ratione. De quibus alio loco & ab alijs docemur.

Nos ne eorundem repetitione, prolixitatem affectasse videamur, non necessaria, quantum possumus, resecamus. Quare ad alia huius morbi accidentia transibimus, delirium scilicet & memoriæ læsionem. De quibus parcius dicemus, quòd rariora sint atq; nullum admodum apodicticum huius morbi signum contineant.

DE

DE DELIRIO ET LÆSIONE MEMORIÆ.

QVod, vt fieri in alijs morbis solet, sic in scorbutica putrefactione, ex materiæ ad caput eleuatione, ista consequantur. Nullam (quemadmodum & in alijs affectionibus symptomaticis) peculiarem sui curationem postulantes, præter eam, quæ morbi radicem præcidit & euellit.

Quæ quia diuersa ab ijs morbis hîc est, qui veteribus cogniti fuerũt, exacta eius cognitione opus est, quò ab alijs & veteribus cognitis morbis & causis delirium sua natura efficientibus, ea distinguatur, quæ hoc nostrum delirium, ac mentis memoriæq; læsionem operatur.

Quandoquidem ad curationem inprimis hæc distinctio conducit. Quatenus rei ipsius cognitio, inprimis verò morbi eiusq; causæ notitia, primum in inquisitione sibi vendicat gradum, à quo ad finis consecutionem, mentisq; nostræ intentionem, tutâ porrò ducimur via, illud efficiens, vt propria & debita cuiq; morbo curatio, radicem morbi præcidens, adhibeatur.

Quæ in hac mentis nostræ alienatione, primùm ex facili ac inopinata eiusdem commotione, eiusq; præter rationem intermissione cognoscitur. Deinde ex miti & lento morbo, nullo sæpe æstu aut siti molestiore, vel inquieta iactatione infestante, & sua qualitate magis venenata, quàm caloris copia, spiritus cerebri turbante. Cùm veterum delirium,

non

non nisi acutos & peracutos sequi morbos consueuit.

Atq; hoc solo indicio, ne quid de reliquis dicam, facilè à veterum symptomatico delirio hoc nostrum distinguitur. Nam quod ex propria capitis affectione excitatur delirium, vt pathognomonicis morbi signis, & morbi vehementia, sic affectionis assiduitate dignoscitur, vt propterea ea res nulla nostra admonitione indigeat.

Magnum quoq; ad monstrandam vtriusq; differentiam, vim & potestatem vrina habet. Quæ in hoc delirio sæpe crassa & rubra absq; multa siti visitur.

Cui & pulsus subscribit aut durus & serratilis, similis illius, qui in pleuritide occurrit, absq; tamen vlla membranarum inflammatione, aut paruus & inæqualis, nihil ferè differens ab eo, qui in orificij ventriculi obstructionibus sentitur, absq; vlla quoq; huius affectione.

Sed & victus ratio crassa & nautica, & in locis planis ac palustribus habitatio, multum etiam momenti ad confirmandum de his iudicium habent, si cum prædictis concurrant & conferantur.

Atqui quæ circa delirium hoc obseruanda sunt, eadem quoq; circa memoriæ læsionem considerantur.

Nam & hæc interpolata magis, quàm continua, in hoc morbo esse solet, per interualla, sicut delirium, ex nulla manifesta causa, & quasi præter rationem, sic affectum, infestans. In his vtplurimùm variæ vrinæ conspiciuntur tam in colore, quàm earundem substantia, & subsidentijs.

DE CARO ET SOPORE PROFVNDO.

Diuersos quoq; vidi alto sopore ac caro ab hoc morbo correptos fuisse, ex vaporum & flatuum (quibus aliquando mirum in modum hæc materia abundat) conferto in cerebrum impetu.

A quo ante annum, cum tertianæ febris accessione, & recurrentibus paroxysmis, singulis vicibus opprimi adolescentem, cum huius morbi significatione vidi, adeò alto somno, vt nullis nostris clamoribus vellicationibusq; excitari aliquando potuerit.

Et post ipsum, virum sexagenarium, olim Zelandiæ præfectum, qui ante nostrum ad ipsum aduentum quatuor integros dies ab hoc morbo dormiuerat, vnde nullis domesticorum clamoribus expergefieri, & è somno excitari quiuit. A quo, vt & prior, nostra opera & curatione, DEI gratia, ad sanitatem hic reuocatus ijs medicamentis est, quæ hunc morbum curare postea ostendam.

Duos noui post diuturnum cum hoc morbo conflictum, & varia huius, quæ passi fuerant, symptomata, somno aliquandiu plus satis indulsisse, propter corporis, vt fieri solet, pigritiem, & spontaneam qua laborabant, lassitudinem, ad motum minus expeditos.

A quo, diuturniore irrigatione cerebri lethargo oppressus alter fuit postridie, quàm ad eum veni.

Alter quoq; diu ad ingressum impotens & tardus,

das, insolitam ab anno vno atq; altero solitudinem amplexus fuerat, otio & somno plus iusto indulgens, quantumvis iuuenis & robustus. Hic etiam cum rubris, crassis & turbidis vrinis ægrotare cœpit, sed quod à medico eius viro doctissimo intellexi, absq; infesta siti, aut momentaneo & molesto caloris sensu.

Cui nulla methodica curatio profuit, etsi medicum haberet doctissimum, & in veteri medicina exercitatissimum. Vtpote quæ internam hanc putrefactionem, vt specificam, ita peculiari curationi subiectam, non coerceret.

Quocirca exhalantes ab hac vapores, tandem hunc quoq; profundo somno, præter medici spem & expectationem sustulerunt. In quo post mortem, sed post festum, vt prouerbium habet, sceletyrben morbum, variæ maculæ nigræ & purpureæ, toto corpore erumpentes monstrarunt. Quem ante morbum & mortem, crurum languor, & præter hunc vrinæ, absq; siti & vehementiore calore rubescentes, non fallaci indicio indicabant: vt in priore recurrens subindè paralysis.

Vsitatum nostris hominibus est, vt scorbuto eos laborare dicant, qui somno præter consuetudinem indulgent. Quòd etiam vulgi obseruatione, sed consequentia inuersa, somnus huic morbo familiaris esse credatur, existimantis, cum huius morbi non effectum sed efficientem causam esse, cum potius eius in quibusdam sequax comes sit, vt lassitudo febris ac intemperiei est. Plures Embdæ (vbi vehementior hic morbus

propter

propter aërem humidum & crassum, aquasq; salsas & putridas est) ab hoc caro extinctos scio.

Concurrit autem plærunq; cum lenta, nonnunquam etiam cum intermittente febre hoc malum, quod ijsdem quoq;, quibus febris ipsa, signis ab hoc morbo esse dignoscitur, cuius hic somnus, vt antea dixi, symptoma & accidens est. Curatur etiam ijsdem, quibus febris, medicamentis, iuxta illud, quo, sublata causa, tolli quoq; effectum, dicitur.

Nostra tamen qualicunq; experientia constat, inter cætera, quæ huic morbo præscribi possunt, primum locum sibi nasturtium aquaticum, eiusq; succum vendicare. Quod tamen de eo hîc intelligi velim, quod in claris & limpidis prouenit aquis, minimè verò quod in putridis & lutosis nascitur stagnis.

Nam illud præter quàm quòd inefficax, etiam ingrato sapore est.

Atq; hac in re rursum subscribere Guilielmo Rondeletio, doctissimo nostri temporis medico cogor, contra Fernelium acutissimi alioqui iudicij & maximi ingenij virum, alto sopori nasturtium hoc facere defendenti.

Siquidem præsenti remedio ad hunc soporem illud conferre, de nostra qualicunq; experientia attestari possumus.

Cuius, ad hunc earum, adeò efficacem facultatem experti sumus, adeoq; euidentem, vt DEI manu quasi adiuuari viderentur, qui illud assumerent, vno

aût altero tantùm excepto, in quibus nimios progressus hic morbus fecerat.

Nam cum ante annum, vnico, diuini verbi ministri apud Embdanos filiolo, quem ab hoc caro nulli clamores aut vellicationes excitabant, refracto per vim ore, succum hunc infunderemus, dico in ipso temporis articulo ad se redire, & nos apertis oculis aspicere cœpit.

Idem etiam in prædicto præfecto & adolescente, de quibus paulò antè diximus, experti sumus. Sed de hac re, quia etiam prius mentio incidit, nihil opus prolixiore eius enarratione est. Ideoq; ad alia huius morbi accidentia transibimus, quæ ab hoc morbo varia, propter variam corporum dispositionem, fiunt.

DE SPVTI DEFLVXIONE CONTINVA.

Sic molestia & longa humidi sputiúe ab ore reiectione ab hoc morbo, (sicut etiam fieri aliquando in Gallico morbo solet, vt etiam hoc signo & symptomate cum venerea lue quandoq; colludat) quosdam diuexari noui, qua totum corpus paulatim extenuaretur.

Quam putridi & circa viscera collecti humores excitabant, spirituum vaporumq;, quibus abundabant, vi & potestate sursum ad os eleuati, & continua hac sputatione reiecti.

Cui rei perpetuum quasi fomentum alimenta assumpta præstabant, maxima sui parte in eandem

substan-

substantiam conuersa, & continuo veluti æstu, per membranam intus os, œsophagum ventriculumq́, vestientem, spirituum vi & euaporatione, euecta atq, educta.

In vna quadam, alioqui forma præstanti fœmina, retenti diutius menses, huic malo occasionem dederant. Et in altera tristitia & aduersa multa, quæ perpessa fuerat: Vt inordinata victus ratio, & crassorum ciborum ingestio, in hunc casum perduxerat, nobilitatis stemmate clarum, castri præfectum.

Cui menses substiterant, medico vsa doctissimo est, sed circa hunc morbum minus exercitato. Cuius rei causa, nihil commodi ex methodica eius curatione percepit. Quo factum, vt relicto eo ad Empiricum & impostorem confugeret, qui acribus medicamentis rem eò breui perduxit, vt rupta vena, post aliquot sanguinis reiectiones, subitò & præter suam, haud dubiè, opinionem, sanguinis copiâ intra fauces hærente, suffocaretur.

Ad quam, post sanguinis eruptionem, vocati etiam nos fuimus. Qui tunc morbum hunc mali causam, cùm ex vrinis & crurum affectione, tùm à pulsu, & cæteris, quæ præcesserant, symptomatibus, cognouimus.

Qui nostra curatione vsi fuerunt, mixta curatione, partim febri & tenuibus catarrhis, partim scorbuto competente, feliciter, paucos intra dies, sunt restituti. Præter vnam, in qua diuturnior, propter alia accidentia, curatio fuit.

In hac curatione haberi ratio fluxus debet, ne ab acribus & calidis is irritetur, & nimia euaporatione vaporum fumorumq́, & in cerebrum delatione, ac eorundem ibidem concretione, atq; ad pectus postea defluxione, grauior, sicut nunc dixi, morbus excitetur.

Qui hac sputi reiectione, & ab ore defluxione laborarunt, eos à scorbutica putrefactione idipsum pati vrinæ crassæ & subfuscæ, aut crassæ & rubræ ostenderunt, quas absq; siti, aut molesto caloris sensu, sic affecti reddiderunt. Quibus, huius morbi significatione, pulsus subscribit paruus, debilis & inæqualis. Cuiusmodi sentiri in omnibus ventriculi affectionibus frigidis & crudis solet, absq; eo quòd quicquam de hoc sic affecti conquerantur.

Sed & morbi species plurimùm quoq; ad monstrandum morbum momenti habet. Quòd nullo manifesto morbo veteribus cognito tales infestati, languere magis, quàm ægrotare videantur. Et quòd absq; siti & calore ij viuant, vtcunq; rubræ vrinæ, aut crassæ & subfuscæ, vel citrinæ & subfuscæ conspiciantur.

Adhuc præter iam dicta, aliud malum nobis occurrit, his regionibus quoq; non infrequens, quod cum hoc morbo scorbuto communicare, præter peculiaria huius morbi signa, aliquoties etiam nobis curatio monstrauit. Quam pro hoc morbo instituere, post longam deliberationem ausus fui, primùm quòd ad nullum veterum morbum, affectionem hanc accedere vide-

viderem, præterea quòd post neglectam diutius huius curationem, quibusdam maculis scorbuticis tandem se prodere hoc malum in quibusdam obseruaui.

A quibus de specifica huius putrefactione magis confirmatus, maiore confidentia postmodum curationem huius sum aggressus.

Quale autem hoc malum sit, paucis describam. Nam in initio adeò lentum est & paruum, vt nihil à sanis, aut quàm minimùm differre ita affectos, etiam acutis videri meducis possit. Quod tamen neglectum, diuturniore temporis mora ita inualescit, vt nonnullos plures sæpe hebdomadas & menses lecto affigat. Et nonnunquam (sicut fieri in diuturnis morbis solet) in grauiora incommoda nonnullos conijciat, nec non præsens vitæ discrimen.

Quemadmodum quibusdam exemplis id, si necesse esset, hîc probare possim, nisi inter obseruationes etiam quædam de his dicturi essemus, & ad eum locum hæc reseruaremus. Nunc quam possum breuissimè rem hîc depingam, & ob oculos ponam, quò magis omnibus conspicua fiat.

DE LANGVORE SINE CAVSA.

COntingit autem sic affectos in initio vt plurimùm languere, citra euidentis morbi significationem, nulla tàm siti, quàm leuissima oris siccitate subindè infestatos. De qua rarò, nisi interrogati, conquerantur. Etsi aliquando molestior ea nonnullis

fuerit, semper tamen modica humidi reiectione ea placatur, cuius largiore assumptione vt plurimùm offenduntur. Etsi non ita multò pòst rursum æquè labia linguaq; ijs exiccantur.

Pulsus his varius est, semper autem inæqualis, etiam in vno sæpe ictu. Vrinæ vt plurimùm albæ, crassæ & conturbatæ, pingui sua superficie matulæ parietibus adhærentes. In quibus quæ subsidunt, vrinam non claram sed turbidam relinquunt.

Quòd si diutius moram morbus traxerit, tandem hos obtusus crurum dolor vel languor, aut facilis apprehendit lipothymia, maximè quoties sese erigere in rectum statum, aut de lecto surgere volunt.

Eo vlterius perseuerante, quidam horum in atrophiam, aliasq; difficultates incidunt, quæ vitam hanc cum morte commutare eos cogunt.

Postulat autem hoc malum, (vt obiter curationem eius attingam) cum ijs, quæ crudos humores concoquunt & incidunt, medicamentorum admistionem, quæ scorbuto valere vsus monstrauit.

Inter quæ in tenuiore aëre primum locum cochlearia ac becabunga tenent, eorumq; succus. Quæ in crassiore aëre, qualis hîc Embdanus est, & Enchusianus, aliisq; ad maris septentrionalis littora sitis locis humidis & frigidis, magis fortia, magisq; attenuantia & incidentia sint oportet.

Quibus paucis diebus (si recens & non admodum inueteratum malum est) sic affecti restituuntur, qui alioqui plures hebdomadas & menses grauiter sæpè cum hoc malo luctari solent.

Hunc

Huic simile est, quod in neutra valetudine aliqui patiuntur, dum adhuc domi foriscq; omnia vitæ munia obire solent. Quorum aliqui subinde languorem sentiunt inusitatum, aliqui calorem momentaneum, faciem momentaneo calore inflammantem, & subinde ac inopinatò recurrentem. Sub quo & pulsus sæpe subest durus & inæqualis, & aluus alijs præter consuetudinem stricta, alijs iusto laxior.

Mulieribus hoc malum patientibus, nonnunquam menses fluunt copiosius. Quas ab hoc morbo id pati languor demonstrat, & præter hunc pulsus paruus & inæqualis. Quarum plærasq; virium excipit debilitas, & quandoq; neruorum resolutio, aut aliud incommodum, sæpe citra appetitus imminutionem.

Nam nonnullos hac affectione correptos, sæpe auidius comedere vidi, vnde nihilo magis corroborarentur. Quod si diutius malum perseuerauerit, (nam in initio sæpe adeò lentum est, vt harum plæriq; pluribus annis præter languorem nihil incommodi sentiant) symptomata omnia tacitis incremẽtis assurgunt, donec tandem in manifestum aliquem morbum erumpant, vt plurimùm verò, quantum mea qualicunq; obseruatione animaduertere hactenus quiui, in atrophiam, seu neruorum resolutionem & debilitatem, aut vtrumq;.

Atrophiam plærunq; præcedit copiosus sudor, qui aliquibus etiam media hyeme, sub leuissimis tegumentis erumpit. Sicut consuli accidit Stadensi, &

duobus apud nos Anglis. Vnde physica ratione magis indies corpus consumitur & perit.

His sanguis à lenta febre & copiosiore sudore, instar glutinis, spissatur. A quo in quibusdam sanguinis (quod puto) spissitudine & prauitate adeò subinde nerui contrahuntur, vt cibum sic affectis alij in os inferere cogantur.

His pulsus valdè paruus & inæqualis, ac subdurus esse consueuit, non infido indicio morbum hunc demonstrans. Quem certiore indicio felix curationis successus demonstrat. Pulsum in melius commutans, non contemnendo curationis rectè institutæ argumento.

Quæ etiam hîc, vt in reliquis huius morbi speciebus, variari pro temperamentorum diuersitate, & humorum putrescentium varia mixtura debet, quò simul ij quoq; , quibus hic morbus insedit, humores concoquantur ac digerantur, nec non expulsioni adornentur, eradicata interea, specificis & ad scorbutum facientibus medicamentis, scelerytris radice.

Hac curationis ratione præstitum vidi, vt è languore suo liberatis his, propriam & naturam magnitudinem rursum pulsus consequeretur.

Quòd si tristitia (vt plærunq; fieri solet) occasionem huic malo dederit, ea postposita, reuocari æger ad lætitiam debet, & à tristibus arceri. In febrium enarratione supra dixi frequenter sub tertianæ febris typo hunc morbum occultari, eiusq; curationem, nisi hic morbus vnà curetur, plærunq; impediri.

Hæ autem

Hæ autem adeò frequentes anno octuagesimo secundo fuerunt, vt numero comprehendere facilè non sit ab hac febre tunc infestatos.

Incepit autem in horum plærisq; cum tanta membranarum, crurum, aliarumq; partium vellicatione, & lancinationi, vt diuelli ac dilacerari sibi carnes conquerentur, & plærisq; lancinatio hæc, quàm febris infensior esset, atq; huius ratione febrem aliqui contemnerent. Quemadmodum feciſſe memini quandam D. Theologiæ coniugem, Gallum, patritium agri Kedensis, mercatoris vxorem, aliosq; permultos.

Quod hîc admonere obiter volui, cùm quòd prætermissum supra id sciam, tùm quoq; quòd huius morbi præsentiâ & pathognomonico signo id fiat, propter vaporum acrimoniam, qua præditi ij sunt, qui ab hac corruptione sceletyrbis dissoluuntur.

Quem præterea, præter has lancinationes, etiam pulsus ostendit, in ipso febris vigore paruus & inæqualis.

DE IACTATIONE MEMBRORVM.

DE tristi, & plena commiserationis membrorum omnium iactatione, cum leui eorundem resolutione coniuncta, in duobus tantùm nobis hactenus visa, plenius infra inter obseruationes dicemus, quando historiam vnius, à nobis curatæ, puellæ enarrabimus.

Siquidem nec hoc malum communi curationis

methodo subiacet, eandem, quam paralysis scorbutica, curationem postulans. Quam etiam ab hoc morbo esse, pulsus & vrina, ac morbi mores facilè indicabant, in ijs, quos ego hac affectione tentatos vidi.

Quandoquidem admodum varia prioris puellæ vrina erat, aliquando tincta, aliquando tenuis & citrina, mox alba, turbida & crassa, & rursum paulò pòst clara, vel rubescens, manente nihilominus eadem semper morbi facie, quotidie ingraueścentis, etsi medico vteretur doctissimo, & in veteri medicina exercitatissimo, Doctore Ioanne Bentzio, olim Electoris Saxoniæ, nunc verò Daniæ Regis medico dignissimo, & nostri amantissimo.

Quem honoris causa nominare hîc volui, & vt veritatis studio ostenderem, communem curationis methodum hunc morbum respuere, nisi specificis, & ad scorbutũ facientibus medicamentis, simul curetur.

Nam cùm hac curationis ratione minus feliciter res procederet, vocatus prædicto Doctori Bentzio collega à parentibus fui. Qui ad primum conspectum symptomatum raritatem admiratus, ad quem veterum morbum hunc potissimùm referrem, diu mecum dubitaui. Quòd neq; ad paralysin referri, neq; ad conuulsionem, neq; ad palpitationem aut tremorem poßet, sed mixta potius ex paralysi & conuulsione affectio videretur.

Quare de his dum cum collega meo conferrem, diligenter tum pulsum, tum vrinam obseruaui; quæ ad amussim huic morbo, sicut iam sæpius dixi, respon-

sponderunt. A quibus concepta primùm mihi de scorbuto opinio fuit. Quam postea non minore argumento crurum suræ dolor confirmauit.

Nam cùm quodam die in pedes meo iussu eam mater erigeret, atq; mira celeritate inuicem eos puella sursum attraheret, requisita à me fuit, quidnam ad hanc attractionem eam commoueret. Ad quæ magno spiritu & afflatu, (nam lingua quoq; resoluta ei erat, vt nisi multo conatu vix verbum vnum proferret) id à crurum suræ dolore sibi prouenire respondit, à quo in terram pedes figere, eosq; extendere prohiberetur.

Ex quibus etsi satis de hoc morbo confirmatus fuerim, attamen quia nondum cum collega meo viro alioquin egregriè docto, & in veteri medicina exercitato, de sceletyrbe satis mihi conueniebat, in eius curationem per dies ferè quatuordecim consensi, ea conditione, si non satis methodica hac curatione ea procederet, totidem curationis dies mihi concederet.

Quæ in sequentibus diebus quatuordecim absoluta nobis, DEI gratia, cum puellæ commodo ac sanitate fuit, ijs medicamentis, quæ scorbutum curant, & cum hoc immixtos ei humores crudos & pituitosos concoquunt, concoctosq; expurgant & expellunt.

Vbiq; enim in hac curatione obseruari debet, vt curatio pro incidentium morborum differentia, & varia humorum permistione limitetur.

Exempli gratia, si calor & intemperies calida adfuerint, ea refrigerantibus contemperetur, & inter scor-

ter scorbutica medicamenta frigidiora exhibeantur, nisi causa morbi, & victus ratio quæ præcessit crassa & nautica, aut aër crassus & frigidus obstiterint.

Quod si partis dolor adfuerit, vnum aut alterum simplex reliquis misceatur, quod ad partem affectam vim medicaminis deferat & deducat. Ita si crudus & pituitosus humor admixtus fuerit, vel crassus & lentus, is quoq; simul attenuari, concoqui, & incidi debet.

Atq; sic de cæteris statuere debemus, quemadmodum de his medendi methodo docemur. Siquidem eadem eorum hîc, atq; in alijs & veteribus cognitis morbis ratio est. Ideoq; ijs imitanda, qui feliciter, & cum iudicio ac ratione medicinam exercere volent.

DE TREMORE MEMBRORVM.

PRæter hanc lamentabilem membrorum concussionem tactationemq;, & ex paralysi ac conuulsiuo motu mixtam (vt videtur) affectionem, quàm plurimis ab aquis crudis & prauis familiaris in agro Embdano tremor est. Quem etiam ab hoc morbo fieri pulsus ostendit.

Nam vrina in horum plerisq;, nullum huius morbi indicium habet, nisi quòd plærunq; citrina sit & tenuis.

Ostendimus antea ex Plinij sententia, & Græcorum medicorum, medicinam in castris Cæsaris facientium, authoritate, quam quotidiana experientia

apud

apud nos confirmat approbatq; plurimùm, aquas nostras crudas & corruptas neruis infensas esse, sua vel qualitate frigida vel substantia crassa, vel specifica, quæ ex his oritur, putrefactione ac corruptione.

Nam cum cumulata ab his cruditas amplius naturæ beneficio digeri ac separari non possit, necesse est alieno concepto calore, eam corrumpi & putrescere, putrefactione pro ratione subiectæ materiæ sæpe lenta, & sensibus vix perspicua.

Vnde eleuati vapores frigidi & crassi, si ad neruos delati fuerint, ea affectione eos afficiunt, qua dixi. Atq; ab hac causa communi, non alienum à ratione est, morbum & affectionem produci, multis communem. Quatenus etiam ex Hippocratis & Galeni, omniumq; probatissimorum medicorum sententia, communes morbos communem causam habere constet.

Curatio huius non multùm variat ab ea, quæ paralysi, & prædictæ concussioni debetur.

DE PENIS EXVLCERATIONE.

ADhuc aliud huius morbi accidens est, quo etiam cum Gallico morbo colludit, eodem modo, quo in lue venerea fieri solet, à specifica & maligna huius putridæ materiæ qualitate erodente & exulcerante excitatum, dum per penem cum serosa sanguinis substantia & excremento illa defertur, inter transeundum sua qualitate maligna teneram penis carnem exulcerans erodensq;.

Est hoc

Est hoc quoq; graue malũ, quod propter latentem suam causam, & tenellum penis sensum, hactenus grauiter & duriter sæpe per plures annos, & nonnunquam ad vitæ finem vsq; nonnullos magna omnium commiseratione afflixit.

A quo Amsterdami grauiter per plures annos excruciatus Sartor fuit, vnde postea in cacochymiam & alia mala, ac penis iuxta scrotum exulcerationem incidit, qua post longas miserias ab hoc incommodo liberatus est, morbi causa aliò & ad vlcus deriuata.

Ita hac ipsa carnificina supra sex annos quidam in mea patria vexatur. Et meus olim hospes, ob literarum & bonarum artium contemtum, nullam sui curationem admittens.

Est enim quoddam hominum genus, quod nihil rectè fieri putat, nisi quod à se profectum sit, aut suo iudicio approbetur.

Est autem huius exulcerationis in hac parte eadem ratio, quæ in alijs corporis partibus. In quibus ab hac materia maligna & virulenta, perforari corporis partes, aliquando sicca exulceratione videmus, non secus, atq; si maioris aciculæ capite vi carnes perforares, neq; pus neq; saniem ichoremúe à se dimittente.

DE VLCERIBVS SICCIS.

CViusmodi vlceris specie ante paucas septimanas quidam meus domesticus, & nuper quidam textor laborarunt, qui VVesalia habitationem suam huc non

huc non procul ab Embdana vrbe in VVolthusen pagum ante paucas hebdomadas transtulit. In cuius genu vno duo profunda vlcera erant, iuxta se inuicem posita & perforata, ficca, & neq; pus neq; saniem vllam à se dimittentia, non secus, atq; si maioris aciculæ capite in eam partem impressa fuissent.

Totum crus ab his contractum, præterea debile & languidum erat, vt baculi adminiculo ad ingressum vteretur, & sic difficulter procederet, ac vix dimidia hora vnius plateæ iter conficeret, idq; multo cum dolore & molestia.

Differunt autem hæ exulcerationes ab ijs, quæ à Gallico morbo procedunt, excrementorum, quæ exulcerationi immiscentur, & circa illam apparent, figura & colore, quæ in Gallico morbo larido substantia ac colore assimulantur, hîc verò nullo certo colore, ficca, & citra pus se offerunt vel pauca puris substantia, eaq; varia, cruda, ac nullius certi coloris.

Ego in his & alijs ex pulsu, & vlcerum malignitate, de morbo admonitus, intra octo dies hunc textorem (DEI gratia) sequentibus medicamentis feliciter curaui, absinthij scilicet decocto ad intra, & vnguenti aurei applicatione ad extra.

Postulat enim hoc vlceris genus medicamenta mitiora, quibus citius ac prius quàm fortioribus ad suppurationem perduci illud videmus, diuersa curationis ratione, quàm in Gallico morbo obseruamus. Etsi vtriq; proprium ac peculiare sit; sua qualitate maligna ac venenata, cutem & carnes subiectas exvlcerare

ulcerare & erodere. Vt propterea non absre symptomatum similitudine sub recta polorum linea inter se communicare videri possint, vtcunq; curationis modo propter differentem putrefactionis speciem, inter se differant, quæ alia hîc est, alia in Gallico morbo.

Estq; hoc admiratione dignum diuinæ prouidentiæ opus, eadem copia apud Indos, quibus Gallicus morbus aquè atq; scorbutus nobis familiaris est, et vt sic dicã, topicus ac regionalis, arbores Guaiacij longas & proceras, quarum fructu ibi homines ab hoc morbo sanantur, prouenire, qua apud nos cochlearia, nasturtium, becabunga, & id genus alia huic morbo probata remedia.

Quo facto diuinus rerum opifex, etiam in prima mundi creatione, statim de remedijs cuiusq; regionis morbis accommodatis, admiranda sua prouidentia prospexisse videtur, vt vel hoc ipso suam in creandis & conseruandis creaturis, rebusq; à se creatis, prouidentiam & propensam ac benignam erga ipsas voluntatem, testatam contra eos faceret, qui atomorum concursu, & fortuito casu, cum quibusdam de grege porcorum Epicuris mundum hunc extitisse, etiam hodie inter Christianos arbitrantur, si quidem hac appellatione cohonestare eos conueniat.

Quorum falsam persuasionem, (ne quid de consentiente Prophetarum, Patrum, Martyrum, Apostolorum, & ipsius Christi, multis miraculis doctrinæ suæ veritatem confirmantis, testimonio dicam) sapientissima naturæ dispositio & conseruatio, atq; ad

omnem

omnem vsum accommodata creatio, conuincit, vt nullam habituri tales excusationem sint, qua coram Christi tribunali in iudicio subsistant & suam contumaciam defendant.

Sed his sibi relictis ad scopum nostrum reuertemur. Nam de ijs iudicium grauius erit, quàm nunc ipsi cogitare, aut sibi persuadere queant. Quemadmodum liquidum ijs fiet, si Christi in cruce pendentis dolores, & psalmistæ typum Christi gerentis calamitates, quas Psalmo 116. expressit, secum examinent & expendant. Vbi dolores infernales se circumdedisse ostendit, quos si ita perpessi ad horæ vnius quadrantem fuissent, & postea liberati, haud dubiè aliud dicerent & sentirent, maioreq; studio & diligentia in diuinæ voluntatis inquisitione & obseruantia aduigilarent. Solent enim, iuxta prouerbium, quæ nocent, docere.

Sed hæc quia alterius loci sunt, fortè malè huc translata quibusdã videri possunt. Quæ obiter pro conclusione, quadam orationis consequentia paucis hîc annotare volui, vt diuini numinis prædicatione, eiusq; laudatissimæ prouidentiæ celebratione, hunc nostrum de scorbuti morbi symptomatibus libellum claudere-mus. Siquidem hæc ferè huius morbi symptomata omnia sunt, quod sciam. Quod si quid præterea emergat hîc prætermissum, id facilè ab his colligi ac dignosci poterit. Volui autem in publicum hæc adferre: Primùm, vt grauissimorum virorum, editionem hanc flagitantium, iudicio ac voluntati satisfaciam.

Deinde præclarißimorum medicorum ſtudium & induſtriam excitem, ad dandum meliora, aut de ſuis obſeruationibus & inuentis, quod deeſt, adjiciendum. Quàm enim neceſſaria huius morbi noticia ſit, & diligens ſymptomatum horum omnium obſeruatio, oſtendit multitudo eorum, qui quotidie hoc morbo corripiuntur.

Videtur enim hodie à temporum anguſtia & calamitate hic morbus incrementum capere. Vt propterea, quam Amatus Luſitanus, excellens noſtri temporis practicus medicus, de vermibus opinionem habuit, de hoc morbo concipere debeant, qui hoc noſtro, ad ſeptentrionalis maris littora, tractu, medicinam ſunt facturi.

Sed & humanæ fragilitatis nos admoneri ab hoc morbo decet, ab vno eodemq; morbo & cauſa, tot tantisq; miſerijs calamitatibuſq; impetitos, quò vel huius recordatione mutuis odijs, rixis, inuectiuis & condemnationibus minus inter nos ſæuiamus, qui ignari mali, mortem eiuſq; cauſam, ſæpe nobiſcum, & intra viſcera noſtra circumferimus.

Sed hæc querelam longam habent, ſi quis ingredi eam volet, medicinam verò nullam, præter eam, qua D E O vindictam dare iubemur, fratri verò reconciliationis locum. Et ſunt hæc præter noſtrum inſtitutum.

Quare ab his receptui canentes, ad ea quæ in libri fronte promittimus reuertamur. Vbi poſt vniuerſalem huius morbi enarrationem, particulares noſtras

nostras obseruationes promittimus, quantùm huic loco & instituto sufficere, ad pleniorem huius declarationem iudicaremus.

Nam si Galeno grauissimo medicinæ testi credimus, non sufficiunt ad exactam cognitionem vniuersalia, nisi in exemplis & particularibus vnà exercitemur. Quòd in ijs, vt Galeni verbis vtar, methodus; in his exercitatio consistat.

Nam quemadmodum iter aliquod ingressuri, celeriter illud conficiunt, qui vtroq; inuicem crure, & alterno pede incedunt: tardius verò, qui altero pede claudicant: Ita qui doctrinam alicuius artis ac disciplinæ adsolutam consequi & addiscere volunt, duobus his (ex Galeni eiusdem authoritate) instrumentis vti debent, in vniuersalibus methodo, in particularibus exercitatione, quòd hisce duobus quasi adminiculis, optimè cuiusq; rei cognitio, quam nobis parare studemus, procedat.

Sunt autem ad docendum exempla illa pro potioribus habenda, quibus ipsi interfuimus, quæq; nostris oculis vidimus, quòd de his notiora ac veriora scribere queamus. Quod nos sedulò studentes, pauculà quædam nostra exempla proponemus, quantulacunq; huic nostro instituto, pro eorum, quæ dicta nobis sunt, declaratione, sufficere putabimus. In quibus breuitatis causa historias tantùm annotabimus, quò citius & melius ad huius morbi cognitionem lector peruenire queat. Quandoquidem cognito morbo facilis eius curatio est.

Quæ in morbi initio sæpe paucissimis & simplicissimis perficitur medicamentis, de quibus prolixè & doctè, in suo de scorbuto libello, D. Ioannes VVeierus scribit, apud quem varios curationum modos lector cognoscit.

Noster scopus præcipuus est, morbum hunc suis signis depingere, quò magis obuius omnibus esse, & à quolibet cognosci possit. Quòd primus ad sanitatem gradus sit morbum cognouisse.

Ad cuius curationem prius nemo medicus pius properare debet, quàm eum perspectum, & ab omnibus suis partibus bene cognitum habeat. ἀλλὰ ταῦτα ὥσπερ προλογίζοντες ἐποιήσω, *vt instituti nostri rationem redderemus, cur post vniuersalem sceletyrbis descriptionem, particulares nostras obseruationes scripserimus.*

Restat nunc promissis satisfaciamus, Hippocratem hîc sequuti, cui visitatum est, in curationibus suis rationes suas prius confirmare, quàm nos eas docere, ne videamur ea aliis facienda proponere, quæ ipsi nunquam fecimus prius.

Obseruatio I.

QVi habitu melancholico & squalido, alba morphæa, circa brachij manuumq; extrema laborabat senex, sub hyemem leui & lenta correptus febre, cum respirationis difficultate, & recurrentibus per interualla anxietatibus, & sub diaphragmate ad ventriculi regionem infestantibus fuit, quæ ob respirationis

rationis difficultatem, de amittenda hac vita anxium eum solicitumq; fecerunt, etsi alioqui morbus lentus, parùm vires defatigare ac prosternere videretur.

Hic vrinas habuit crassas, rubras, & subliuescentes, cum quibus pulsus digitis occurrebat inæqualis & subdurus.

Horripilationes sensit frequentes, sed nullo, aut quàm minimo comitatas calore aut siti. Ad hunc ita affectum vocatus sum, cùm primùm Hamburgum venissem, nondum autem naturam loci, victum & aquas, quibus ibi vtuntur, cognitas satis perspectasq; haberem.

Cuius causa propinquos rogaui, secundum & exercitatum in illius loci morbis medicum mihi adiungerent. Quod etsi in initio ægrè, tandem tamen post longas propinquorum deliberationes obtinui, vt accerseretur D. Franciscus Rodewolt, senex sexagenarius, publico Hamburgensium stipendio medicinam ibi factitans.

Qui nulla habita mecum deliberatione medicamentum ægrotanti præscripsit, in fine secundi, aut initio tertij gradus calefaciens, & obstruendis pulmonum cannis, & infarctis viscidis & crassis eius humoribus educendis conueniens. Quo in officina pharmacopolæ viso, testatus propinquis fui, de morbo non idem nos sentire. Itaq; curationem ipsi permisi, hoc meo prognostico contentus.

Aegrotus verò post sextum aut septimum, ab

assumpto primùm medicamento, diem inter graviores horripilationes decessit.

In quo morbum sceletyrben demonstrare debuissent vrinæ, absq; molesto situs sensu, rubræ & subfuscæ, item anxietates ex interuallo ad ventriculi regionem sub diaphragmate infestantes. Præterea morbus lentus nulli veterum morborum descriptioni respondens. Quibus victus subscribebat crassus & melancholicus, quo per omnem ferè vitam tenax Euclio fuerat vsus.

Obseruatio II.

QVæ annum vicesimum quartum agebat virgo pulchra & inculpatæ valetudinis, honesta & pia, continuas, maximè verò post prandium, horripilationes sensit, cum intensissimo sinistri hypochondrij per vices infestante dolore.

Sub vesperum semper omnia visa sunt auctiora.

A cibo sumpto plærunq; deterius habuit, præter horripilationes etiam perpetuis ructibus, nauseis, anxietatibusq; diuexata.

Quod idem etiam à pharmaco purgante ei aduenit. Siquidem difficiles his purgationes esse solent, quantum nostra experientia constat, non prius putrefactionis qualitate superata & deuicta, humoribusq; in quibus ea residet, concoctis & digestis.

A fomento ad eum vsum nobis parato, mitigati hypochondrij dolores fuere, reliquis in eodem vigore persistentibus. Quarum curationem cum aliquando certam

certam spem nobis vrinæ facerent, de ea rursum nos post leuissimam cathartici exhibitionem, deturbauit vrina, perinde atq; antea, crassa & conturbata.

Quæ res & varietas suspicionem mihi fecit, vt alterius morbi admistione fieri hoc, cogitare auderem. Quandoquidem ex Galeno, quarto de victu acutorum morborum commento docemur, facilem ac frequentem vrinarum permutationem plures affectiones designare, quæ neq; eandem curationem, neq; æqualem habent solutionis præfinitionem.

Itaq; inquirenti mihi de omnibus diligentius, confessa ægra est, ante paucos dies subnigras maculas sibi in cruribus apparuisse, quæ in citrinum colorem desiissent. Vnde de scorbuto confirmatus, præscripta inter cætera huic morbo nobis remedia sunt, quibus breui pristinam valetudinem D E I beneficio hæc est consecuta.

Huius vrina ab initio crassa et subpallida, cum rubicunda visa corona est. Horripilationes sub noctem semper auctiores apparuerunt, vt quotidianæ febris typum repræsentare voluisse hanc febrem videri posit.

Siquidem honesta & modesta virgo domi plærunq; desidebat. Nunc valet viro nupta, & corporis temperamento inculpato.

Quoties in his regionibus nostris vrinæ à catharticis præter rationem conturbantur deterioresq; fiunt, cum sceletyrbis significatione id coniunctum esse vsus conuincit, curatione id confirmante.

Obseruatio III.

EOdem quo hæc ægrotabat tempore, de qua prior obseruatione dixi, ijsdem ferè symptomatibus ab eodem hoc morbo, totam pene hyemem ægrotauerat quædam annorum quadraginta matrona, chirurgi amici mei vicina, inter cætera quæ patiebatur, incommoda, grauiter quoq; de obtuso crurum dolore conqueſta.

Quem etiam huius morbi accidens esse supra in vniuersali morbi huius enarratione ostendi. Hunc autem similem esse aiebat, atq; si in profundo crurum malleolis ea sibi contunderentur.

Atqui præter hunc dolorem molesta quoq; ei ex intermallo cordis palpitatio erat, cum leuissima oris siccitate coniuncta, quam haud dubiè putridæ materiæ intus latentis euaporatio, intra cordis capsulam admissa excitauit, quemadmodum de cordis palpitationes efficientibus causis, rectè annotauit & obseruauit acutissimus doctissimusq; nostri temporis medicus Ioannes Fernelius Ambianus.

Cui nos subscribere hîc veritas cogit, non solùm ob hanc præsentem historiam, sed varia nostra hac de re experimenta, & quod plus est, propter firmissimas rationes, felici curationis nostræ experimento, non in hoc exemplo solùm, sed pluribus alijs animaduersas & comprobatas.

Vrinæ huius quoq; ab initio crassæ, albæ, & turbidæ, sicut ab ægrotante edoctus sum, apparuerunt, cuiusmodi tum etiam erant, cùm primùm mihi eam

videre

videre contigit, pingui ac viscida sua superficie matulæ parietibus adhærentes.

Has nulla exhibita, post digestiua, medicamenta purgantia attenuabant, sed magis conturbabant. Quamobrem, cùm varia tùm concoquendis, tùm digerendis humoribus crudis & pituitosis medicamenta ei præscripta, nihil proficerent, ad ea quæ hunc morbum curant deuenimus.

A quibus intra paucas hebdomadas & dies restituta integræ sanitati fuit. Quæ vt exhiberem, primùm obtusus crurum dolor, & cum hoc vrinarum catharticis conturbatio suasit; Secundò, quòd à nullo manifesto morbo, sed perpetuo languore potius, ægrotantem detineri animaduerterem. Nam experientia doctus, pro scorbutici morbi apodictico signo teneo, si videam ab ijs, quæ meritò & ex ratione attenuare vrinas debebant, eas præter rationem conturbari, morbo lento existente, & nulli veterum morbo ac descriptioni respondente.

Obseruatio IIII.

BYßi mercator apud Hamburgenses, vir staturæ breuis & quadratus, de spontanea omnium membrorum lassitudine, cuidam iuueni medicinæ studioso, sed in artis nostræ principijs non infeliciter versato, conquestus, purgatus rhabarbari infusione ab eodem, nullo sanitatis commodo, fuit.

Præscripta deinde varia medicamenta ei fuerunt, quæ lassitudinem mitigent, humoremq; crudum digerant

gerant & concoquant, at eodem, quo prius successu. Nam & languor crescebat, & quotidie appetitus magis imminuebatur, carne à corporis substantia magis ac magis flaccescente & pereunte.

Ideoq; super hac re consultus, cùm de omnibus quæ ægroto adessent, diligenter inquirerem, inter alia huius signa, etiam de obtuso crurum dolore eum conqueri intellexi.

A quo de hoc morbo statim admonitus fui, de quo iudicium ab hoc symptomate sumptum, confirmabat pulsus paruus, debilis & inæqualis: & cum hoc vrina crassa, alba, turbida & varia, in qua quæ subsidebant corpora, alba quoq; rotunda, & cineritia apparebant, quibus nihilo clarior superior vrinæ substantia facta est, sed æquè turbida perstitit, non infido huius morbi, sicut antea dixi, argumento.

Si scilicet absq; grauiore morbo cum perpetua lassitudine talis excernatur, si nullum æger morbum ostendat veteribus descriptum, si languere magis, quam ægrotare ita affectus videatur, idq; cum lento & vix sensibili virium decremento fiat.

In hoc ægroto, sicut fieri solet, quando in morbi cognitione aberratur, variæ fiebant vrinarum vt dixi permutationes. Adeò vt si quæ ex melioribus vrinis affulgeret de morbo victoria, & sanitatis spes, eam postridie euerterent eædem, perinde vt antea, crassæ & conturbatæ, vt huius morbi apud nos significatione certa & indubitata, ita firmissimo curationis non rectè institutæ argumento.

Occulta

Occulta enim causa & malum subsit necesse est, medicationem nostram subterfugiens, quod recidiuæ occasionem præter spem & expectationem præstet.

De quo cum diu multumq; mecum dubitarem ac cogitarem, post longas deliberationes ac ratiocinationes, nec non diligentem signorum omnium examinationem, tandem scorbuto morbo causam hanc adscribendam inueni, iudicium meum ac εὐχαριστὴν hac de re comprobante felici curationis euentu.

Quem sic experientur, qui post me in similibus casibus attentare eam volent, velle autem debent omnes, quibus vita & salus hominum curæ est.

Atq; hac curationis via à grauissimo suo morbo hic quoq; paucis diebus restitutus est, à quo plures menses, hebdomadas, ni fallor, sedecim, maxima ex parte decubuerat. Quæ in hoc ægroto scelerybenostendant, in historiæ enarratione annotauimus, vt nihil eorum repetitione hîc sit opus.

Obseruatio V.

NOn dissimilibus symptomatibus ab hoc morbo huius vicino, eadem quoq; byssi mercatrix, & huius prædicti ægroti à parte vxoris affinis, ægrotauit. Cui inter cætera accidit, vt quoties sese erigere conaretur, facilè linqueret, aut ad linquendum prona & procliuis esset. In hac quoq; præter morbi speciem morbum hunc, prima manus nostræ ad pulsum applicatione, mihi manifestauit pulsus paruus, debilis, & inæqualis. Cui vrinæ subscribebant crassæ, albæ, & contur-

& conturbatæ, cum ijsdem, de quibus antea dixi, sedimentis, quæ superiorem vrinæ substantiam æquè post se craßam & turbidam reliquerunt.

Os maxima ex parte ei siccum fuit, etsi potum parùm appeteret aut ferret. Nam à largiore liquidi haustu statim offendi se sensit. Diu ante morbum eadem quoq; molestum crurum surarumq; dolorem sensit, qui grauiter etiam inter decumbendum eam diuexauit.

Ab his de scorbuto confirmatus, ijsdem ferè medicamentis, quibus in prioribus, curationem perfeci, nisi quòd ijs, quæ ex proprietate quadam ad hunc morbum faciunt, quædam miscerem, crudos & pituitosos humores concoquentia & incidentia, caloremq; contemperantia. Quibus DEI beneficio feliciter hæc conualuit, quæ diutius & multas hebdomadas ab hoc morbo decubuerat.

Hoc exemplum hîc subiungere volui, vt promptior esset huius mali cognitio. A quo sæpe contingit plures hebdomadas, menses & annos, nonnullos lento & vix sensibili morbo lecto affigi, & ab eo quandoq; in deteriores & ægrè curabiles morbos, atrophiam scilicet, spasmum, aut paralysim, deuolui, magna rerum suarum iactura, & totius familiæ ἀνωρχίᾳ ac confusione.

Quemadmodum eodem, quo hæc scriberem tempore, alteri cuidam viduæ accidit, quæ medicorum ignorantia integrum penè annum domi desedit, & maximam temporis partem in lecto transegit. Quò

magis

magis cogitare celebres viros decet, quàm necessaria huius morbi obseruatio, & legitima eius distinctio sit ijs, qui medicinam apud nos, & in his locis maritimis sunt facturi.

Obseruatio VI.

QVi in Balwerder habitabat, agro Hamburgensibus subiecto, olim Præfecti in Tritou amanuensis & scriba, sub diaphragmate, eo loco vbi orificium ventriculi situm est, tantas anxietates sensit, vt erectus spiraret & variè præ angustia corpus de loco in locum transferret, nullo tumore, inflatione, aut inflammatione, thoracem, præcordia, aut ventriculum infestante.

Huic facies color planè cineritius erat.

De morbo quia cum collega curationis, viro sene & sexagenario, mihi non conueniebat, atq; is curationem hanc ante me tractasset, propter ætatem ei cedere & curationem hanc permittere volui, sed cum hac præmonitione, ne quid in assumendis catharticis facilè suo medico consentiret.

Quòd non vanis argumenis persuasum mihi haberem, ab ijs non ita multò post, in hydropicum tumorem corpus inflari, & attolli debere. Nam æger cum hoc morbo multis aqueis & tenuibus humoribus, in primis venis & visceribus ipsis abundabat, vnde futurum suspicabar, vt fortiori cathartico ijs motis & conturbatis, flatus qui in ijs continerẽtur, dissoluerentur, atq; subitò sic in tumorẽ ventrem attollerẽt.

Præuidi

Præuidi etiam ſaburram partim viſceribus & inteſtinis adhærentem, partim in venas tranſumptam, medicationis vi & facultate ad viſcera trahendam, & in ea impingendam eſſe, ſponte iam obſtructa, & hoc tenui & aqueo humore infarcta, ex quibus ſequi, ſicut omnes medici rationales norunt, hic tumor ſolet. Nam crapulæ & ebrietati perpetuo hic indulſerat, & in ea totos non ſolùm dies, ſed integras quoq; noctes, vt fieri inter aulicos ſolet, tranſegerat.

Ex quibus non fallaci ratiocinatione colligi potuit, futurum id quod ego præuidebam, atq; res ipſa, & rei euentus poſtea comprobauit. Nam ſexto curationis die, qui fuit dies Saturni, reuocato mihi & iterum ſuper hac re conſulto, tres pillulas maiores oſtendit, à medico ſuo ſibi præſcriptas, vt tertia hora pomeridiana eas deglutiret.

Quando paucis ſententiam meam dixi, negauiq; de ijs iudicium mihi competere, addidi præterea, cuiq; facti ſui rationem reddendam eſſe. Itaq; per me liberum ei relinqui, quod vellet, faceret. Atq; ſic medicus ſui conſilium ſecutus, has pillulas deglutiuit.

A quibus poſtridie qui fuit dies Solis, adeò intumuit, vt factum hoc adſtantes & propinqui, imò medicus ipſe admiraretur.

Quo tempore ſuaſi vt Hamburgo in prædium ac domum ſuam rediret, admonui quoq; ſeriò, beluinam illam, quam egerat, vitam deteſtaretur & deploraret, atq; vt grauiſſima ſua peccata DEO confiteretur, eorumq; veram pœnitentiã ageret, quo facto, promiſſi-

promissiones in scriptura sancta propositas, & à Filio DEI nobis reuelatas, firmiter amplecteretur, atq; in vnica DEI misericordia, Christi morte & passione nobis confirmata, acquiesceret, propterq; eum remissa sibi, quæ seriò detestaretur peccata, certò ac firmiter crederet. Cum his operam meam solatij ergò ei obtuli, si qua in re eam expeteret. Atq; ita ei valedicens aby.

Ille verò post quartum à purgatione diem cœlestia loca, quod spero & opto, petijt, nostro prognostico fidem faciens. In hoc, morbum hunc demonstrare anxietas grauis debuit, sub diaphragmate ad ventriculi regionem, absq; tumoris, inflationis, aut inflammationis significatione, infestans, & difficilem respirationem citra thoracis affectionem efficiens. Nam cruditates quiescentes absq; manifesto tumore anxietates tantas inducere non potuerunt.

Obseruatio VII.

HAc ipsa angustia & respirationis difficultate, correptus ab hoc morbo adolescens in Pumeuberch ditione Schounenbergensi fuit, adeò difficili & graui quoq;, vt erectus spirare, & variè angustiâ corpus iactitare cogeretur. In his plærunq; si morbo eiusq; causæ vires ægrotantis fortiter resistant, neq; prius illæ concidant & succumbant, plærunq; hydrops subsequi has angustias solet, nisi tempestiua curatione & huic morbo competente ijs occurratur,

Huius

Huius vrinæ craßæ & conturbatæ, cum obſcura nigredine vireſcebant, huius morbi non contemnendo ſigno, ſi, vti vſus demonſtrat, extra hydropem & malignæ febris indicia, in longiore morbo tales reddantur.

Obſeruatio VIII.

VIdua gibboſa, gracilis, pedibusq́; hirſutâ, corporis temperie, inprimis verò epate calidiore, diu à mariti ſui morte, vitam egerat ſedentariam & triſtem. Hæc quoq; ijſdem correpta anxietatibus per interualla fuit, ſub diaphragmate ad ventriculi regionem infeſtantibus.

Cum quibus labia genæq́; ſublurido colore præter conſuetudinem media æſtate tinctæ, cum ſuperioribus oculorum palpebris, apparuere. Fortè ex menſtruorum, quæ ſuppreſſa aliquandiu fuerant, ad ſuperiora refluxu. Quæ huic morbo (haud dubiè) occaſionem dederant.

Quibus ciendis, huius morbi curatione neglecta, dum medici inſtant, miſera hæc ſubitò & præter ſpem, ab anguſtijs his ſuffocatur & perit.

Obſeruatio IX.

VIdua ruſtica diues pecorum & agri, per omnem ferè vitam patrijs aquis crudis & ſublimibus aſſuefacta, leui in initio febricula ægrotare cœpit, ſed abſq; multa ſiti, aut moleſto caloris in principio ſenſu, vtcunq; vrinas redderet craßas, & cum

cum quadam fuscedine rubescentes ; quæ in morbi progressu multis rubris & crassis excrementis, à quibus nihilo clarior superior vrinæ substantia eminuit, in matulæ fundum subsiderunt.

Quo, vt variorum humorum confusionem, ita diuersorum morborum concurrrentiam, denotari supra in morbi enarratione ostendimus. Vbi breuiter quoq; specificam sceletyrbis putrefactionem has vrinas continere annotauimus. Eadem anxietates quoq; passa graues est, per interualla recurrentes, & à diaphragmate ad ventriculi regionem infestantes.

Quæ à catharticis semper magis irritari, quàm mitigari, etiam huius morbi indicio, visæ sunt. Quòd ægrè sic affecti purgationes sustineant, nisi post deiectam prius hanc putrefactionem, & ad concoctionem separationemq; crassis & aqueis, qui miscentur, humoribus perductis, ea administres.

Estq; alioqui Rhasis sententia, quam experientia & quotidianus comprobat vsus, frequentes super rubris vrinis purgationes lethales esse. Quod etiam diu ante ipsum Hippocrates aphorismorum libro primo & secundo, & nono ostendit.

Nam qui sublata prius putrefactione qualicunq; humores crassos & tenaces extenuat & incidit, meatusq; per quos isti transmittuntur, & à medicamentis trahuntur, aperit, facilem & ægrotanti salutarem purgationem experietur, quæ absq; fastidio vllo, torminibus, vertigine, et id genus malis procedet.

Quod obiter hîc propterea admonere volui, quòd

in eo aberrâtum in hac curatione à iuuene medico fuerit, alioqui non indocto, neq; in artis principijs infeliciter instructo. Qui non habita huius præcepti ratione, cathartico vehementiore iam dicta symptomata omnia exasperauit, cum præsenti ægrotantis discrimine, accedente ad reliqua mala & delirio.

Quod tamen non continuum, sed intermutens, & per interualla recurrens fuit. Tandem hæc quoq; propter morbi ignorantiam vltimum clausit diem.

Quem hîc monstrare potuissent, cum morbo & febre lenta, vrinæ crassæ, rubræ, & variæ, absq; molesta siti caloriue sensu redditæ. Et præter has anxietates prædictæ, nec non habitationis situs ad mare in locis planis & palustribus existens, aquarumq; ibidem natura, & cum harum vsu, victus melancholicus & crassus.

Quibus abundantiore indicio adnumerari delirium sub febre lenta potest, & difficilis, si placet, purgantis medicaminis tolerantia.

Similibus vrinis rubris, crassis & subluuidis absq; grauante siti, complures anno septuagesimo perierunt post memorabilem illam agrorum omnium inundationem, ex aquarum, quibus necessariò in nostra Frisia occidua rustici nostri vtuntur, salsedine. Cum quibus etiam ab hac febre ille prope Leouerdiam in Virdum pago, vt vocant, rusticus ægrotabat, qui plurimas secum & graues tacitè melancholiæ causas fouebat. Quas plurimùm ad huius morbi generationem conferre supra ostendimus.

Obser-

Obseruatio X.

Senatoris Hamburgensis coniugi adhuc obambulanti, & omnia domi foriq; munia citra incommodum obeunti, aliquandiu difficilior respiratio erat, quoties locum aliquem accliuem ascendere conaretur. Quo diutius neglecto, subitò & præter expectationem in articulares dolores incidit, variè locum suum commutantes, & nusquam diu subsistentes.

Cum quibus vrinæ visæ albæ, crassæ & turbidæ sunt, superiore sua substantia matulæ parietibus adhærentes; existentibus, quæ in fundum subsiderunt corpora, arenularum instar crassis, rotundis & grauibus.

A purgantibus & humores crudos & pituitosos concoquentibus medicamentis, vt nihilo melius habuit, ita nihilo emendatiores visæ vrinæ sunt. Vnde mihi primùm huius morbi suspicio incidit. Quam pulsus confirmabat paruus, debilis & inæqualis, atq; maiore certitudine felix curationis euentus, rationis inuentum comprobans.

Siquidem prima omnium hæc fuit, in qua hanc affectionem ab hoc morbo procedere obseruaui & animaduerti.

Quæ tridui vel quatridui ad summum curatione, integræ valetudini ab ijs, quæ scorbutum curant, medicamentis restituta, de his & similibus mihi iudicium reliquit certum & indubitatum, quod posteà pluribus vtile fuit. In quibus illud tamen no-

tatu dignum ac neceſſarium eſt, ne gliſcentem febrem & putrefactionem, cum his doloribus concurrentem, negligamus. Quòd fortè ex huius contemtu futura minus proſpera ac diuturnior curatio eſſet.

Obſeruatio XI.

Dictæ Senatoris coniugis ex ſorore neptis & puerpera, decimo quarto à partu die, primùm dentium, deinde ſcapularum, mox genu, manuum, & muſculorum laryngis, graues dolores, cum leui earundem partium reſolutione experta eſt. Qui locum ſubinde mutabant, & variè quoq; diſcurrebant, modò hunc, modò alium corporis articulum diuexantes, & eodem etiam reſolutionem iam dictam ſecum transferentes, vt ſemper quò dolor, eodem quoq; reſolutio hæc commigraret.

Vrina huius, quemadmodum vrina materteræ ſuæ, etiam craſſa & conturbata, cum craſſis ſubſidentijs fuit.

A ventriculi orificio ad os vſq; quiddam inſtar pali figi ſibi conquerebatur, quod etiam in hoc morbo pluribus aduenisſe memini.

Si quando de lecto ſurgere conaretur, ſtatim animo liquit, aut ad linquendum prona fuit. Quod etiam in aliquibus familiare huius morbi ſymptoma eſt.

A cathartici potus habuit, viſæq; vrinæ deteriores, magisq; craſſæ & conturbatæ ſunt.

Quocirca medicamina ei à me præſcripta ſunt, ex herbis & radicibus incidentibus attenuantibuſq;, & quadam

& quadam proprietate hunc morbum respicientibus, quibus ad sufficientiam decoctis & colatis, addidi succi cochleariæ vncias duas, suspensis ex filo radicum raphani syluestris taleolis tribus, & conuenientibus syrupis potione condulcorata.

A qua potione quotidiè bis hausta, intra triduum sanitati restituta fuit, in biduo dolore tumoreq; euanescente. His ipsis doloribus ab hac causa cum similibus vrinis Senator Stadensis, & apothecarij Leouerdiensis vxor, item ciuis Nordensis, & Secretarij Hamburgensis L. Tuesterengh soror, aliiq; complures laborarunt, his ipsis medicamentis sanitate rursum restituti.

Obseruatio XII.

SVb idem ferè tempus, quo ab his articularibus doloribus prædictæ duæ fœminæ correptæ fuere, ab ijsdem quoq; ab eadem causa, altera quædam fœmina præpinguis, quæ Hamburgi ad porticum, ad quam mercatores conueniunt, habitabat, corripitur. In qua minus discurrentes ac mobiles hi dolores, fortè propter corporis constitutionem frigidiorem, & ad senium vergentem ætatem, aut ob humores crassos & frigidos, erant, vtpote quæ multo crasso & melancholico sanguine abundabat, quemadmodum pedum tumor, de quo mox dicemus, abunde postea ostendit.

Huius vrinæ crassæ, rubræ, & subfuscæ fuerunt, quibus nec calor nec sitis adfuit molesta, non infida huius morbi significatione. Nam quorum in vrinis,

maiora putrefactionis signa sunt, quam foris sitis & æstus ostendunt, morbo lento existente, & nulli veterum morbo suis signis & symptomatibus accedente, magnum, imò certissimum huius morbi argumentum habere, vsus monstrat. Redundantibus circa primas venas humoribus crudis & crassis subinde totas impleuit pelues. Quod etiam huic morbo adesse in pluribus Embdæ obseruauimus, quos nihil his excretionibus adiutos fuisse constat.

Vt à me de scelerybe hæc admonita fuit, bibit aliorum ad hunc morbum probata remedia, quibus ita defœdata crura eius fuerunt, vt citra horrorem ea nemo aspicere posset.

Anxietates, quas ad præcordia infestare diximus, adeò quoq; graues hæc experta est, vt sæpe præsens suffocationis periculum non absre adstantes metuerent. Sed quæ cum pituitosa excretione nihil communicabant, ne quis inde profectas eas esse existimet.

Quandoquidem magna differentia inter anxietates scorbutum comitantes, & illas est, quæ à pituita grauante, vel alijs de causis fit. Etsi hæc distinctio exercitationem, & diligentem obseruationem animaduersionemq; requirat.

Obseruatio XIII.

SArtor qui operam suam sarciendis vestibus locare solebat, dissolutæ vitæ & poculis ebrietatiq; addictus homo, sub autumnum de grauissimo coxendicis dolore conqueri cœpit. Qui cùm varijs celebris

cuiusdam

cuiusdam chirurgi inunctionibus, nihil dolor cederet, illius magnitudine & morbi molestia ac diuturnitate victus, vrinam ad me deferri per vxorem curauit.

Quæ rubra & crassa fuit, atq; multo crasso & furfuraceo sedimento, à quo nihilo clarior superemineus vrinæ substantia visa est, subsidit: nulla interea siti, aut caloris molestia, ægrotum infestante. Eratq; pulsus paruus & inæqualis: Atq; ex longiore morbo & dolore ad spithami longitudinem crus retractum.

Ego ex vrina statim morbi causam cognoui. Quare media hyeme ex vino rubro cochleariæ succum ei propinaui, ad singulas vini libras succi vncias quatuor admiscendo. A quo medicamine intra quatriduum à dolore liberatus est.

Durauit autem curatio tota hebdomadas plus minus decem, in quibus integræ sanitati rursum hic restitutus est, vt, quemadmodum antea, ad compotationem pedibus vteretur celerioribus, quàm Christianum virum deceret, qui omnium opinione alioqui incurabilis videbatur.

Obseruatio XIIII.

COnsulis Hamburgensis vxor, ijsdem hisce coxendicis doloribus, ad talũ vsq; sese extendentibus, diuexata pluribus hebdomadis fuit. Qui paulatim ita creuerunt, vt ne momentum temporis præ doloris magnitudine vno in loco quiescere posset, & propterea medicorũ operam implorare coacta sit.

Purgata ab vrbis Physico medico sene septuagenario deterius habuit, lachrymis per genas destillantibus morbi doloris q3 magnitudinem testata. Cum nihil proficerent ad coxendicis dolores à veteribus præscripta medicamenta, tandem ego quoq3 vocatus fui. Qui prima manus meæ ad pulsum applicatione morbum agnoui.

Eratq3 tunc vrina tenuis & citrina, parùm à sani hominis vrina differens, quæ postridie ab assumpto medicamento nostro visa crassa & conturbata est, pluribusq3 excrementis crassis & furfuraceis in matulæ fundum subsidere.

Cuiusmodi quoq3 ab his medicamentis visæ vrinæ coniugis Senatoris & Licentiati Iuris sunt, quæ eodem ferè tempore cum ijsdem vrinis, grauissimis brachij lancinationibus, cum leui eiusdem resolutione coniunctis correpta fuit.

Quæ etiam ab his doloribus, & non multùm dissimilibus medicamentis curata est. Nam vtraq3 statim post biduum doloris mitigationem sensit, paucis diebus integrè ab ijsdem liberata. Cum in Consulis vxore supra sex hebdomadas dolor hic perseuerasset, & aliquantum ex dolore contractus neruus esset, qui etiam conuenientibus medicamentis postea restitutus est, & pristinam extensionem recepit.

Obseruatio XV.

EOdem hoc dolore post tristem litem correptus Hamburgensis ciuis fuit byssi mercator, vir grauis

grauis, honestatis amans, absq; vlla pulsus & vrinæ permutatione. Siquidem semper ferè etiam in bona valetudine pulsus huic paruus, debilis & inæqualis fuit. Quapropter morbum hîc ex suis moribus cognoscere oportuit.

De quo opinionem meam confirmauit, præcedens vita tristis & molesta lis, grauiter animum eius excrucians, eoq; magis, quòd præter meritum isthuc se pertrahi arbitraretur, & quorundam amicorum officia & iudicia non satis æqua sibi, in sua causa, quam iustissimam putabat, experiretur.

Itaq; ab hac animi illius ægritudine, doloris q; proprietate de hoc morbo admonitus & edoctus, paucissimis medicamentis & huic morbo accommodatis, breui hominem sanauí. Huius frater, cùm ijsdem penè symptomatibus ante paucos annos corriperetur, & medicos nactus fuisset huius morbi ignaros, adhuc hodie domi claudus desidet, nullam sui morbi, quam priorum medicorum opera expertus est infelicem, curationem admittens.

Obseruatio XVI.

TAlo retracto versus poplitem retrò, vt eum terræ affigere non posset, ab hoc morbo Secretarij Hamburgensis soror, post diuturnum ac molestum mariti sui morbum, laborauit, cum pulsu paruo & inæquali, vrinisq; crassis, albis, & conturbatis, quæ superiori sua superficie viscida & crassa, matulæ

parietibus adhærerent. Vnde mihi symptomatis causa reuelata est.

Vsa hæc ante nos varijs mulierc[u]larum inunctionibus & balneis (vt fieri solet) fuerat, at nullo curationis successu. Ideoq; cum nihil his proficeret, tandem rem mihi significauit. Qui cognito morbo eiusq; causa, paucis medicamentis, & vno si memini, simplici, ad pristinum statum, talum, DEI beneficio, reduxi.

Eadem hæc paulò antè etiam omnium articulorum dolore & resolutione laborauerat, vt ab alijs de loco in locum transferri eam necesse fuerit, nostra quoq; opera in quinq; diebus plus minus sanitati DEI gratia sic restituta, vt sponte quò vellet, iret, quam prius à pluribus transferri multa cum molestia, de vno lecto in alium oportuit.

Obseruatio XVII.

GEnu dolorem, & momentaneam cum hoc ac per interualla recurrentem resolutionem, experta ab hoc morbo rustica est, quæ ex Vilstria non procul ab oppido Krempen ad me venit. Quæ ad doloris huius aduentum hac resolutione simul attentata, nec stare neq; ingredi potuit, sed protinus nisi ab alijs sustentaretur, in terram prona concidit. Quo remittente rursum baculi exigui adminiculo, quò volebat, ibat.

Vrinas reddidit hæc crassas, subnigras & conturbatas,

batas, quæ multo crasso & nigro sedimento in matulæ fundum subsiderent.

Ipsa ægra huius symptomatis causæ ignara, confessa mihi est, ante triennium grauiter se à scorbuto ægrotasse, meum de hoc malo iudicium confirmans.

A quibus de sceletyrbe edoctus, ijsdem, quibus priores, medicamentis, hanc quoq; DEI beneficio sanaui, nisi quòd ijsdem validiora cathartica subinde admiscerem.

Hodie cursus velocitate hæc etiam cum ceruis decertare posse dicitur, alioqui vetula & quæ tunc baculi adminiculo ad ingressum vteretur. In hac historia sceletyrben morbum, præter recurrentem genu dolorem, resolutio ostendit subitò præter rationem eueniens, & momentanea paralysi crus afficiens, cum dolore eadem facilitate, qua apprehendebat deficiens & remittens.

Quod vrina confirmabat varia, nec non abundantiore indicio habitationis situs, & aquarum, quibus ibi vtuntur, natura & qualitas. Quæ iudicium à prioribus conceptum magis confirmabant, si Plinio credimus, & experientiæ rerum magistræ.

Obseruatio XVIII.

QVi Senatorij ordinis dignitatem apud Hamburgenses tenebat, vir liberaliter doctus, & annos natus plus minus sexaginta, diutius & per plures annos, dum adhuc Reipub. munia obiret, cum hoc morbo conflictatus est. Nam & faciei colorem habebat

habebat liuescentem, & crura duro ac tenso hoc tumore inflata. Cum quibus & anxietates inter eundum ad præcordia experiebatur, graues & molestas.

Quæ propter corporis constitutionem firmiorem, qua ab ipsa natiuitate gaudebat, longiore tempore absq; manifesto morbo ac valetudinis impedimento sustinuit, etsi indies ab otiosa & sedentaria vita, nec non victus ratione crassa & melancholica, tacitis incrementis hæc assurgerent, vt demum in manifestum aliquem morbum ea erumpere fuerit necesse.

Nam dum diutius hæc negligit, & præcedenti vt dixi victui indulget, tandem manifesto tumore, præter crura, circumscribi ipsi, etiam vtraq; viscera cœpere, quæ hac saburra prægrauata tandem in abdomen grauantem copiam effuderunt, illud quoq; duro ac renitente tumore attollentem.

Quando vrinas reddidit crassas, rubras, & quasi sanguineo colore tinctas, in quibus multa subsidebant corpora crassa, rubra, & furfuracea: cum tanta visceris vtriusq; tensione, vt manifesta circumscriptione extrinsecus se conspicienda illa offerrent.

Ita affectus vsus est opera cuiusdam, nescio quas suas experientias iactitantis, erronis miserrimi, cui nemo sana mente præditus, lubens suum commisisset canem curandum. Qui in hisce viscerum obstructionibus, frequentibus suis purgationibus, breui rem eò deduxit, vt neq; erectus sedere, neq; in lecto dimouere se posset, nisi a duobus adiutus.

Quando mortem instare, & præ foribus esse cum animad-

animaduerteret, me vocauit, meam opem & operam implorans: diebus, quod memini, canicularibus.

A quibus ego curationem excusabam ac detrectabam, quod scirem seruandis diætæ præceptis ingenium eius minimè natum esse. Quod ille animaduertens, me nodum, quod aiunt, in scirpo quærere, cœpit animo commoueri.

Quare annui, ne afflicto afflictionem adderem, etiam propter conscientiam, qua omnibus nostro officio præsto esse iubemur: Sed non absq; admonitione, quod eo loco & dignitate in Repub. constitutus, & non vulgari literarum scientia instructus, atq; quibus medijs ac modis literæ parentur, disciplinarumq; cognitiones, non ignarus, feneſtram impostoribus ad nequitiam aperuisset, & suo exemplo ad imitandum hæc alios inuitasset, qui leges punire tales, & à Repub. arcere sciebat, qui temere & per hominum mortes (vt Plinij verbis vtar) pericula faciunt.

In hoc autem misero eius statu, quædam medicamina ei præscripsi, cum morbo hoc obstructiones eradicantia, & crudos, crassos, ac frigidos humores concoquentia & incidentia: foris visceribus tumefactis adhibitis fomentis, emplastris, & vnguentis, quæ cum discutiendi, emolliendiq; vi ac facultate corroborandi ea potestatem habent, per interualla quoties id necessitas postularet, Electuario Indi, pharmaco ei vsitato hominem expurgans.

Quorum efficacia (constituta prius victus ratione conuenienti) res eò DEI gratia breui rursum deducta est,

cta est, vt omnia rursum domi, tàm publica quàm domestica negotia expediret, & intra priuatos parietes, quò vellet obambularet, etiam musæum, quod editiore loco habebat, atq; contignationem sine offensa ascenderet.

Potuisset hic integrè restitutus fuisse, si victus rationem debitam obseruare voluisset. Sed hoc illi persuadere difficile erat, quantumuis literato & docto, quippe qui ad istas leges nunquam assueuerat, eratq; nulla res ei difficilior, quàm à consuetis cibis abstinere.

Factum curationis huius initium diebus, vt dixi, canicularibus est. Sequente Martio cùm diutius negotiorum meorum causa in patria mea abessem, relaxatis iterum omnibus (non admodum alioqui intensis) circa victum habenis, ad ingenium redijt, antiquũ obtinẽs, & quibuslibet cibis sine delectu indulgẽs.

Vnde, nondum satis ex priore morbo confirmatus ac restitutus, rursum in recidiuam sui morbi incidit. Quando ad inuisendum iterum illum, ab amicis & propinquis inuitatus, recusaui.

Quòd talibus neq; Apollo neq; Aesculapius satisfecerint. Sed sub vitæ finem ab amicis & ipso rursum requisitus, vt solatij ergò saltem eum visitarem, obtemperaui.

Homo hic erat egregiè doctus, pius, & non inutilis Reipub. ciuis & senator, nemini malus, nisi quòd sibi in victu non parceret, aut minus indulgeret. Vt rectè dictum sit, neminem sine vitijs viuere,

optimum

optimum verò illum esse, qui minimis vrgetur.

Hunc spero cum omnibus pijs ac Christi fidelibus, cœlesti nunc gaudio frui. Quod nobis quoq; peracto hoc vitæ curriculo, concedat misericors, nostriq; amans DEVS, cœli & terræ Dominus.

Quæ hîc specificam hanc sceletyrbis putrefactionem ostendant, ex prædictis constat: Inter cætera verò huius signa primum locum tumor durus sibi vendicat, nullam digiti sui impressionem admittens. Cui subscribere labiorum genarumq; liuor potest, nisi ex melancholici humoris coacervatione eum extitisse quis contendat. Sed & conspicua vrinarum, absq; siti & febrili calore, rubedo, non infidum huius argumentum continebat. Quibus adstipulabatur victus melancholicus & crassus.

Ab hac ipsa hydropis specie renitente & dura, curatus hisce ferè medicamentis quidam à nobis chirurgus Embdanus est, postquam octo & viginti hebdomadas suam, & cuiusdam ibi medicinam facientis pharmacopœi operam, nullo curationis successu expertus esset, indies morbo tumoreq; crescente, ita vt sponte vix de lecto descenderet.

Itaq; à medico suo, & ipso ad consilij communicationem requisitus, consensi, cum medico suo ad visitandum eum, ægroti domum accedens. Qui eodem tempore quo ad eum veni, nescio quod pharmacum purgans sumpserat, à quo plus grauaminis senserat, quam leuaminis.

Quocirca ea curationis ratione improbata, vtraq;

vtraq; latera vnguento emolliente, confortante, ac digerente aggressus sum, quòd hæc etiam tensa, & in his viscera circumscripta suo tumore essent.

In his autem exhibui, quæ quadam caloris temperie, cum ijs quæ scorbutum curant, obstructiones tollũt reserantq;. Nam validiore siti hic infestabatur.

Atq; hinc DEI gratia effectum fuit, vt post paucarum hebdomadarum curationem, extra vrbem hic expatiaretur, qui paulò ante vix solus se dimouisset.

Etsi pro hoc beneficio parum gratum verbis se ille ostenderit, fortè ne hac ratione de sua authoritate quid imminutum apud populum videretur. Nam adeò plæraq; ISTIVS hominum conditionis pars, in ea ciuitate, arrogans & superba est, etsi imperita sæpe quàm maximè, vt viros in literis educatos & ratione ac iudicio ex veterum præscripto curantes, præ se contemnere, & suis experimentis posthabere non erubescant.

Cum tamen frequenter ne quidem simplicem ossis fracturam, eiusq; vel minimam, absq; vitio & distorsione ab ijs reponi posse obseruarim, sicut proh dolor pluribus quàm velim exemplis, hîc id, si necesse esset, demonstrare possem. Qui aliquando à me de meliore curatione ex Galeno & Hippocrate admoniti, adeò contemtim eam admonitionem acceperunt, præ fastu & φιλαυτία, qua quidam ex ipsis laborant, vt prædictorum placitis & scriptis nunquam ab ipsis cognitis, suam experientiam paucis vtilem, anteponerent.

Genus

Genus hominum, vt videtur, quod recta consilia cum dare non possit, bene monentibus obtemperare nolit. Interea tamen multa confidentia etiam internos morbos curat, hac parte quoq; omnes præ se contemnens. Idq; magistratus negligentia & incuria, vel non intelligentis, vel ad se nihil hanc curam pertinere arbitrantis. Cum tamen (si Platoni credimus) Reipub. felicitas in bono medico, & obstetrice proba & industria consistat.

Sed hæc quia præter nostrum institutum, atq; alterius considerationis sunt, ijs considerandа relinquimus, quibus à DEO optimo maximo hoc munus iniunctum est & commendatum.

Obseruatio XIX.

MArescalcus castri Leouerdiensis, generis nobilitate clarus, præterea sumptuosus & splendidus, nimio splendore res imminuisse, deteriores q; fecisse credebatur. Vnde in hunc morbum eum incidisse verisimile est. Nam alioqui temperamento erat inculpato, & viuebat quoq; splendidè.

Ad hunc cum de via vocatus venirem, præ angustiæ sensu, quem sub diaphragmate monstrabat, ægrè eum respirare vidi, adeò vt ipse cum ea respiratione supra biduum se superesse non posse affirmaret. Quod partim morbi ratione, partim medicaminis assumpti, ei euenisse iudicaui. Siquidem ante paucas horas, pillulas, nescio quas, à medicis suis, viris in medicina exercitatissimis, sibi exhibitas, deglutiuerat.

A quibus morbi ratione facta angustia adeò adaucta fuit, vt ex hac vita sibi migrandum esse æger putaret.

Accedebant ad has anxietates huius morbi indicio, venter & crura hydropico, duro, & retinente tumore inflata. Et labra genæq; sublurido colore mediæ æstate conspicuæ.

Deniq; vrina crassa & rubra, in qua multa subsidebant corpora crassa, rubra & furfuracea, non contemnēdo huius morbi sicut antea diximus indicio.

Dixit Rases cum rubris vrinis hydropem incurabilem esse, propter Epatis temperiem calidam, à qua fit, & diuersas propterea curationum indicationes, quibus occurri ex æquo non facilè possit.

Quæ si apud nos, & cum his vrinis rubris & crassis militaret ratio, necesse ex hac Rasis prædictione esset, sic affectos prognostico relinquere, magno vt ex hac curatione apparet, errore, & ægrotantium pernicie & interitu.

Differentia autem ex causæ diuersitate emergit, quæ vt in veterum hydrope calida est, ita hîc frigida & crassa est, hac sua rubedine non tàm intemperiem, quàm morbi qualitatem, & specificam scorbuti putrefactionem, vrina exprimente, quæ acribus & calidis, minimè verò frigidis medicamentis tollitur & expugnatur, & propterea in easdem cum hydropico tumore indicationes incidit, quæ in veterum hydrope pugnantes cùm sint, morbi difficultatem adaugendo, curationem incertam, vel nullam & deploratam faciunt.

Atq;

Atq; ita salua manet Rasis viri doctissimi prædictio, & confirmatur nostrum de specifica hac scorbuti putrefactione, ex curationis euentu ac veritate, iudicium. Sed ad historiam reuertamur.

Sitiebat hic plusculum, nam & corporis temperatura calidiore gaudebat, eratq; alioqui anni tempus æstiuum & calidum.

Ego cùm ab angustia, tùm à duro & renitente pedum tumore, præterea ab vrinis rubris & crassis, & subliuescentibus genis, præ cæteris patriæ meæ medicis, de hoc morbo admonitus, magno artis nostræ encomio, & ægrotantis, quod præcipuum est, salute, intra paucos dies D E I beneficio ad pristinam valetudinem hominem, nõ absq; querundam medicorum, inprimis verò Serapij Hanya viri optimi & pijssimi, vxoris meæ consobrini, quem honoris causa hîc nominare volui, admiratione, reduxi.

Miscui autem calorem contemperantibus, obstructionesq; referantibus medicamentis, ea quæ ad hunc morbum vsus adinuenit. Quibus, vti prædixeram, postridie respirationis angustia remittere, & æger liberius respirare cœpit, certa curationis sequuturæ spe & persuasione. Quæ in tribus ni fallor hebdomadis absoluta est.

Est hæc hydropis species, vt illa, de qua posteà dicemus, pluribus apud nos, & his nostris regionibus, familiaris, quæ à veterum hydrope facilè prædictis signis dignoscitur, vt pluribus exemplis nihil hîc opus sit.

Nam omnes hoc loco recensere longum esset, præterea superuacuum & inutile, quòd ex similibus similia colligere quilibet per se possit.

Obseruatio XX.

A Cicularij extra nouam portam Embdanam habitantis vxor varijs toto corpore maximè circa crura, præter ventris cruumq; tumorem, duris, & pendulis, atq; propria quasi cute circumscriptis tuberibus, supra reliquum tumorem extantibus laborauit, hydropis scilicet specie, quam vulgus nostras vernacula nostra lingua à vesicarum prominentium forma, bongkwater appellat. Nam à tuberibus his extra cutem prominentibus, & cum totius corporis, maximè ventris & crurum hydropica inflatione, concurrentibus tumoribus, vesicarum modo propendentibus, appellationem hanc malum hoc consequutum esse videtur.

Sed & præter hæc tubera varijs anxietatibus subinde & per interualla recurrentibus, hæc diuexata fuit, animiq; deliquio, quoties sese eleuare, aut alias è lecto surgere conabatur. Cum quibus pulsus paruus & inæqualis, ac vrina crassa, alba & conturbata fuit.

Ego ex tumore renitente, & pulsu paruo & inæquali, atq; prominentibus vesicis, de scorbuto admonitus vi & ab animi præter rationem deliquio, ijs quæ ventriculum calefacerent, obstructiones tollerent, & hunc morbum quadam proprietate curarent, ita intra

ita intra octo dies DEI gratia eam curauì, vt domi sine moleſtia omnia conſueta officia ac munia obiret, pedum tumore deinde, quibuſdam ad pedes fomentationibus curato & diſcuſſo.

Hac hydropis ſpecie plures apud nos corripiuntur, eſtq; noſtris familiariſsimum pauperibus, inprimis verò qui mala victus ratione vtuntur, aquisq; noſtris putridis, crudis, & corruptis, vel cereuiſiis noſtris ab ijs decoctis. Quo fit vt etiam ditiores ſæpe ab hoc malo non ſint immunes, quibus ad hunc morbum natura magis prona ac procliuis eſt.

Quemadmodum nuper euenisſe cuidam nobili Groningano, præclara & nobili familia nato memini, & præter hunc alteri cuidam fœminæ plebeiæ, cuiuſdam molitoris, & ex ſemine lini ac raparum oleum exprimentis coniugi, cum ijſdem ferè, quibus hæc laborauit, ſymptomatibus, niſi quòd nobili prominentes tumores etiam in dorſo ipſius aſſurgerent, quem ante hunc morbum frequentes quoq; vomituum conatus inſeſtarant, cum pulſu paruo, crebro & inæquali, & facili tumorum de loco ad locum permutatione.

Curatus hic ab alio medico eſt, veteris medicinæ alioquì non ignaro, communi curationis methodo, ſed nullo curationis ſucceſſu. Vtpote qua breui ſuccubuit, manuum robore etiam tunc, cùm curandum ſe medico daret, fortiſsimus.

Quapropter diligenter medicum ad ſingula animaduertere oportet & decet, omniaq; prouidere, &

discernere prius, quàm ad curationem accedat, ne prius impingat & à curatione aberret, quàm morbus rectè cognitus fuerit.

Cæterum symptomatis similitudine hîc adscribere inuitor, quod, in morbi enarratione prætermissum, hîc non incommodè inseri posse putaui. Scilicet nonnunquam extra hydropem contingere, vt totum corpus, nec non quælibet corporis partes, ab hoc crasso & melancholico succo, varijs tuberibus cum & sine exulceratione, quadam naturæ crisi, & huius crassi ac melancholici succi ad exteriora & corporis circumferentiam depositione, varijs tuberculis extuberet.

Quemadmodum aduenisse ab hoc morbo & crassa huius materia Consulis Leouerdiensis, & cuiusdam Frisiæ occiduæ nobilis coniugibus memini. Quæ in posteriore varijs exulcerationibus siccis, neq; pus neq; saniem reddentibus exulcerari, perforariq; & exedi videbantur, crescentibus in exulceratorum locis, alijs postea & nouis tumoribus, qui varijs excrescentijs mamillarem carnem flaccidam & glandulosam cuti quodammodo adæquabant.

Simile etiam tinctoris filiæ in altero crure ab inflammatione alba & huic morbo peculiari (sicut antea diximus) efflorescentia aduenit, non intellecta, neq; legitimè (vt oportuit) curata ad hunc casum miseriamq; deducta.

In hac tumor tumori adnascebatur, ac si quibusdam quasi natibus sibi inuicem impressi tumores

fuissent,

fuissent, vel quibusdam quasi monticulis, alij super alios assurgerent.

Hi quoq; profundis exulcerationibus, & medijs inter monticulos vallibus, exulcerabantur, exedebanturq; magnum de se fœtorem reddentes, è quibus alij rursum & noui tumores enascerentur tristi aspectu, ita vt sine horrore nemo crus illud aspicere posset.

Huic malo affine fuit sed minus tetrum, quod cum resolutione & crurum paralysi, adolescens Embdanus passus est, qui etiam hæc tubera in vtroq; crure, sed absq; exulceratione ostendit.

Hoc malum ab hoc quoq; morbo, & latente huius putrefactione procedere, gliscenteq; ab hac febre, amplius crassos humores, huius morbi causam, tenuiũ exiccatione inspissante & adurente, præter pulsum paruum & inæqualem, atq; huic morbo peculiarem, vrina crassa, varijs & diuersis excrementis, partim subsidentibus, partim vrinam conturbantibus, insignita, vel in substantia varia, demonstrabat.

Quibus maiore certitudine tumoris qualitas, morbiq; nouitas & coincidentia cum his aliquando huius morbi symptomata, paralysis, vel atrophia, aut similia huic morbo conuenientia accidentia subscribunt & attestantur, omnem dubitandi ansam præcidentia.

Quomodo autem & quibus remedijs topicis tumores hi curandi sint, ac num, vt in Gallico morbo, ad quem etiam his tumoribus alludit, potentiali medicamento ij aperiendi sint, vel intrinsecus medica-

mentis ad hunc morbum facientibus, depellendi, non satis adhuc exploratum habeo.

Laudat Gesnerus, & certo experimento, doctissima sua de aquatilibus historia, carneis tuberibus Natas Mediolanensibus appellatis, commendat Rubetam, vel nigrum bufonem terrestrem, qui sub Saluiæ radicibus sæpenumero inuenitur, his tuberibus superligatum, quòd sua carne & substantiæ proprietate tubera hæc eum abolere & liquefacere putet, sicut latius Corollario tertio, libro de aquatilibus quarto, historia de ranis, quilibet apud authorem ipsum legere potest.

Sed an nostris hisce tumoribus rectè ille superligari possit, non satis affirmare ausim: Attamen illud testari possum, viridis graminis, quod semen ranarum quidam esse arbitrantur, quodq; in vere & prima æstate, multa copia super aquis nostris inuenitur, decocto, ac destillato liquore, magno commodo & vtilitate hæc tubera abluta fuisse, illa inprimis, quæ exulcerationem patiebantur.

Meo iudicio molli medicamento rectè hæc vlcera tractari, & vino vel solo, vel alijs in vino ad hunc vsum decoctis ablui puto. Exhibitis intus quæ hanc putrefactionem arceant, humoresq; crassos & frigidos attenuent, incidant & diluant, donec rursum ad temperiem reducti humores sint.

Quo curationis modo in tinctoris filia mediocres inceperam facere progressus, nisi ordinem hunc, & diætæ ac victus rationem interturbasset auunculi mors

li mors, necessaria ad curationem suppeditantis.

Nam ab eius morte vitæ necessarijs destituta, cum paupercula esset, necesse fuit curationis cursum nos intermittere.

Sunt qui prædictis accidentibus perlarum liquorem commendant, quo in similibus casibus non infeliciter quendam operatum fuisse, veritatis studio nos confiteri decet. Plura quæ de his scribam non habeo. Si quid præterea quod ad hanc curationem pertinet cognouero, libens communicabo. Si quid etiam lectori inciderit, vel monstratum, & à DEO optimo Maximo concessum fuerit, vt idem faciat rogo, ne quod humanis vsibus seruire queat, secretum occultetur. Interea præsentia lector boni consulat oro.

Obseruatio XXI.

QVi discendi mercatus causa ex Marchia Hamburgum venerat adolescens, cùm grauissimis & nocturnis capitis doloribus, nec non faucium exulcerationibus ex lue venerea laboraret, curatus à me decocto ligni est. In qua curatione alioqui non admodum pinguis, ita extenuatus est, vt inter curandum iusculà ei & coctas carnes exhibere fuerim coactus.

Huic sub curationis finem, cum fortè è lecto surgere vellet, ecce subitò, & præter omnem expectationem, dolere pes cœpit, & paulò post resolui, vt non magis atq; nuper natus infans ei inniteretur. Visæq; tum vrinæ crassæ & conturbatæ sunt, in quibus multa crassa & furfuracea corpora subsidebant.

Cum quibus occurrebat in brachio pulsus paruus, debilis & inæqualis. Vnde de morbi specie admonitus, breui medicamentis accommodatis huic malo obuiam iui, vt rursum DEI beneficio pedibus ad libitum uteretur. Hic de vtriusq; parentis obitu, vno eodemq; die triste nuncium acceperat.

Quamobrem num ei suauissimorum parentum ex hac vita discessus, vel conceptus ex priore morbo pudor & dolor, vel victus præcedens melancholicus, occasionem huic morbo dederit, non facilè dixerim. Nisi quòd vsu & nostra qualicunq; obseruatione constet, tristitiæ causis libenter hunc morbum immisceri.

Quas, quia plures præsens Reipub. status, & iustum DEI erga peccata iudicium, suppeditant, hinc fieri arbitror, quòd solito frequentior hodie hic morbus occurrat, & latius etiam ad campestria loca, & peregrinas regiones nationesq;, vt olim Gallicus morbus, pomœria sua dilatet & extendat.

Obseruatio XXII.

NAuta Hamburgensis ex eo hominum genere, qui ex Marchia rates Hamburgum aduehunt, (genus hominum miserrimum, quod cum arido, parco, & parabili victu, perpetuò aëris iniurijs expositum, frigora nocturna, caloresq; cogitur perferre diurnos) sub plantis pedum ambabus, primùm titillationem sensit molestam, & ab ea postridie vtriusq; cruris resolutionem, vt nec inniti ijs, nec inuicem trans-

transferre ea posset, nisi quòd inter decumbendum leuiter sursum ad musculorum capita ea admoueret.

Vrina crassa & alba, multa corpora cinerittia, seu cineritij coloris grauia & crassa continebat, instar arenæ partim rotunda, quæ à fundo, nisi fortiore matulæ motu, non eleuabantur: Hic etiam ijsdem ferè quibus prior medicamentis restitutus, rursum ad consuetas suas operas redijt, lætus de felici morbi sui curatione.

Obseruatio XXIII.

MErcator Breslauiensis, qui Dreßdæ sub Electore Augusto habitabat, sub Martini festum febre vehementiore, & grauissimis Epatis ac veficæ fellis obstructionibus (conteſtantibus id alui ac veficæ excrementis) corripitur. Ex quibus cum noſtra, diuina auxiliante gratia, opera mediocriter conualesceret, & paulatim confirmari inciperet, subitò & præter spem accidit, vt quodam die, cum de lecto surgere conaretur, alterum crus ei inutile fieret, neq; quicquam ei inniti posset, aut de loco id transferre.

Quod tamen, ita vt prior, leuiter inter decumbendum ad musculorum principia & exortum admouebat.

Curatus hic quoq; in quatuor aut quinq; diebus noſtra opera DEI gratia eſt, vt quò vellet prodiret, non parùm ob felicem & celerem hanc curationem animo gestiens.

Cæterum ex hoc loco mihi incidit, quod hîc rectè moi nerposse puto. Scilicet aliquando fieri, quòd cum

cum alijs morbis scorbutus incidat & concurrat, & quòd hoc vel initio eorum, vel medio, vel eorundem declinatione & fine fiat, aut quòd sub his temporibus primùm sese exerat, aut suum virus ostendat.

Quod scire vtile propter curationem est. Ideo quòd sæpe absq; huius noticia infeliciter reliquorum, & coincidentium morborum curatio procedat, sæpe etiam integram aliorum curationem ille remoretur.

Vt propterea verisimile sit huic, & ei qui vigesima prima obseruatione nobis descriptus æger est, primùm sub morbi finem hunc morbum aduenisse, vel quod verisimilius est, vires tum suas prius exeruisse. Quod optatum omnibus velim, tam curationis, quàm dignotionis ergò. Siquidem præterquam quòd sic difficilior eius agnitio sit, non rarò contingit, quòd competens huic curatio reliquis & iunctis ei morbis aduersetur.

Quo in casu vter causam ἐξ ἀνάγκης, id est sine qua non habeat, diligenter expendere & considerare medicum decet. Vt indicatione à viribus sumpta, ei primùm & potissimùm occurramus, vnde maximum imminere viribus periculum putamus. Vel vnde aliorum morborum cassam futuram curationem iudicamus, coniunctis morbis interim non neglectis. Sicut latius de his & pulcrè Galenus in collatione morbi & causæ, decimo suo de medendi methodo libro ostendit. Quem in his & similibus sequi eum decet, qui industriam ac prudentem curationem, quam amare omnes debent, amplectitur & amat.

Obserua-

Obseruatio XXIIII.

BVbulco à domino suo dimisso, & alium dominum, ac habitationis sedem quærenti, eamque prope Hamburgum in Embsbuttel, vt vocant, pago Hamburgensibus subiecto figenti, subitò & de improuiso vtrunq; crus resolutum fuit.

Quas ad me, vicinorum instinctu, deferri vrinas curauit, visæ albæ, crassæ & conturbatæ sunt, in quibus quæ subsidebant in fundum matulæ excrementa, arenularum crassiorum similia erant, grauia & rotunda. Quas in morbi enarratione certum huius morbi argumentum habere ostendimus.

Quapropter etiam ijsdem ferè, quibus priores, medicamentis, ad sanitatem D E I *beneficio hic reuocatus est. Quo nomine DEO maximo laus & gloria.*

Obseruatio XXV.

ADolescens annorum quindecim, bonarum & liberalium artium linguarumq; studiosus, ac corporis constitutione molli & delicata, ab hyberno frigore, hominum quibus cum viuebat importunitate grauiter læsus, sub vernum tempus paulatim, & in pluribus diebus, hac cruris vtriusq; resolutione tentabatur. Quæ supra sex mensium spacium morbi ignorantia, eum lecto tenuit affixum.

A qua postea frequentiore balnei vsu, & duorum catharticorum validiorum exhibitione, ab empirico illi administratorum, conualescere cum temporis muta-

mutatione, post festum Iacobi cœpit. A quibus parum abfuit quin perüsset. Quòd pro tenellæ corporis constitutionis ratione, nimis audacter, ne dicam temerè empiricus processerat, nulla habita temperamenti ac teneritudinis ratione. Quandoquidem tenerum corpusculum ac molle esset, literis & studijs magis, quàm laboribus natum.

Etsi, (vt quod verum est fatear) superata hæc medicamenta plurimùm ei profuerunt, vtpote à quibus indies magis magisq; vires ac motum æger recuperauit. Hic nunc valet, pedibus sine impedimento vtens, cuius nomine sit DEVS omnipotens benedictus.

Obseruatio XXVI.

SEnex Consulis Hamburgensis gener, diu cruribus impotens, tandem omnimoda horum resolutione tentabatur. Eum medici ante me ad curationem asciti, paralyticum veterum paralysi dicebant. Etsi huic quoq;, quod prius commemoratis, adesset, quòd leuiter crura inter decumbendum ad musculorum exortum attraheret. Et præterea peculiare huic esset, subinde aliorum auxilio & leui adminiculo, commodè in plano & cubiculo suo ambulare. Cuius variæ vices erant.

Nam qui pridie leui aliorum sustentatione ingressus fuerat, & solus steterat, postridie neq; stare, neq; se dimouere, aut pedem transferre poterat. Idq; rursum post paucos dies ei concedi, iterumq; negari, vt alteri cuidam seni, videre licebat. Mira quidem vicißitu-

vicissitudine, & diuersa atq; alia, quàm in veterum paralysi contingere solet, ratione.

In qua propter primariam neruorum affectionem permanens hic morbus & ad sui solutionem esse solet. Vnde etiam illud consequitur, magis à vaporibus frigidis, & maligna eorum qualitate, quàm ab humorum in ipsos decubitu, malum hoc procreari, quòd non æquè facilis humorum, sicut notum omnibus medicinæ candidatis est, sit affluxus & refluxus. Iuxta illud Hippocratis, Plurima verò non turgent.

Hunc sceletyrbe laborare, & ab hoc morbo sic pati, cùm propinquis contradicentibus, collegis ætate prouectis viris, sed in arte & praxi medica parum exercitatis, persuadere non possem, etsi manifestè præter morbi mores pulsus & vrina id testarentur, curationem ijs commisi. Qui pro paralytico simpliciter eum curauerunt, at nullo successu.

Siquidem post sextum vel quintum à morbi initio mensem, quotidie in deterius ipsorum curatione delabens, suum clausit diem. Scripsi de hoc symptomate exempla plura, vt de vrinis, de quibus supra in morbi enarratione diximus, veritas constaret.

Et hoc vltimum, vt intelligeremus alias subinde, atq; in veterum paralysi, mutationes, in hac resolutione conspici, ex quibus non contemnendum huius indicium exoriatur. Quod maiore certitudine postea vrina & pulsus confirmant, si talia qualia huic morbo familiaria ea esse ostendi, occurrent. De

quibus

quibus quia abunde suo loco dictum est, nihil opus hîc otiosa ac superflua eorum repetitione est.

Obseruatio XXVII.

QVemadmodum iam dicti crurum resolutione tantùm, ita dimidij, & alterius lateris paralysi, ab hoc morbo anno octuagesimo correpti permulti fuere. Inter cæteros verò quidam in agro Kedensi agricola, nobilitatis priuilegio gaudens, epatis temperatura humida & calida, & corporis constitutione crassa & quadrata. Hic ob continuas pluuias frumenti collectionẽ prohibentes, tacitè se affligebat.

Nam aëris constitutio humida & frigida, omnem spem messis, quæ eorum ibi opes sunt, præcidebat.

Estq; alioqui familiaris ipsorum ibi victus crassus, melancholicus & excrementitius, ex anatum anserumq; carnibus, quarum magna ibi copia est, vt non meminerim vno in loco, & apud vnum agricolam, plures anates me vidisse anseresq;, quàm ibidem.

Quibus accedunt aquæ patriæ crudæ, sublimes & stagnantes, vel crudæ & salsæ, quibus tum cibis apparandis, tum decoquendis cereuisiis suis vtuntur. Vt non mirum sit hisce & similibus morbis, ex tot tantarumq; causarum congerie eos corripi & infestari, potissimùm quando ad hæc tristitiæ causæ accedunt.

Qua, ob causam prædictam, diutius hunc premente, præter omnem expectationem sub horam secundam noctis, à primo somno, hac dimidij lateris paralysi

lysi hic corripitur, vt nullum istius lateris articulum, quem dimouere posset, haberet. Qua octiduum totum plus minus laborauerat, ante meum isthuc aduentum. Quando vrinæ quas reddidit, visæ crassæ, rubicundæ & subfuscæ sunt, similes earum, quæ in febre quartana conspici solent.

Cum quibus pulsus altus, durus & serratilis, febrem arguebat, & humorum putridorum incendium; attestante huic & siti vehementiore, qua æger infestabatur.

Ego ex pulsu & vrina fusca, de specifica humorum putrefactione, & ab hac de hoc morbo admonitus, præterea à causis procatarcticis, & inuasionis modo ratus æquè atq; crurum resolutionem, etiam dimidij lateris, & plurium membrorum paralysin, ab hoc morbo excitari posse, curationem ijs, quæ febri & huic morbo debentur medicamentis, aggressus sum.

Nam si Plinio credimus, à paucorum dierum vitiosarum aquarum vsu similia Cæsaris militibus vitia tùm in cruribus, tùm in toto corpore aduenisse: quid miramur ab ijsdem & diuturniore eorundem vsu, nobis hæc et his grauiora aduenire, vel à pluribus cõcurrentibus & simul adiuuantibus causis, ea cumulari?

Itaq; ab hoc Plinij testimonio, & prædictis indicijs & signis, de hoc morbo commonefactus, ex tot differentibus à veterum paralysi signis, nihil præter mendacem morbi speciem, cum ea commune hunc morbum habere, certis rationibus mihi persuasi.

Eòq; magis, quòd eodem isto anno octuagesimo,

quàm plurimis communis esset, & tam mæcilentis, quam pinguibus & obesis contingeret, ijsq; potissimùm, quos cum crasso & melancholico victu, diuturnior premeret tristicia.

Quamobrem ex eius frequentia communem causam subesse oportere, ex Galeno & Hippocrate edoctus sum, quæ num cum hoc morbo & specifica huius putrefactione communicaret, porrò pulsus & vrina ostenderunt, aliaq; quibus à veterum paralysi differebat, symptomata.

Nam si quis nobis in his regionibus morbus occurrat rarus, vel etiam aliquis veteribus cognitus, sub alijs & diuersis, atq; plurimùm ab eorum descriptione discedentibus signis, statim mendacem eius speciem suspectam habere oportet, & huc atq; ad hunc morbum cogitationes dirigere, diligenterq; cùm morbi mores, & causas eius antecedentes, tùm pulsum & vrinam explorare, talia ne sint quæ huic morbo conueniant, eumq; quadam sua proprietate exprimant & demonstrent.

Quod si in huius generationem ea conspirare animaduertas, & talem affectum effectusúe edere, quos ei familiares fuisse, ante tot secula Græci medici, qui castra Cæsaris sequuti sunt, prodiderunt, non video quis præterea dubitationi locus esse possit, nisi perpetuò cogitationibus nostris oberrare, & in incertum vagari velimus.

Quamobrem ab his de morbo eiusq; causa hîc edoctus, nihil dubitaui curationem huic morbo, scor-

buto

buto conuenientem instituere : curationis initio, propter eius redundantiam & febris admixtionem, à sanguinis missione facto.

A qua mixtis porrò febri & scorbuto medicamentis eousq; rem DEI beneficio in octo diebus, quibus cum eo fui, perduxi, vt brachium supra caput eleuaret & attolleret, cuius ne digitum prius dimouerat, & crus antea rigidum & immobile, quantum sanum, ad se adduceret attraheretq;, paulatim magis magisq; in mea absentia confirmatus, etsi propter loci interuallum, & meam absentiam, multa fieret medicaminum intermissio.

Obseruatio XXVIII.

Præfectus castri Ritzenburgici, etiam simili dimidij lateris paralysi, à primo somno cum multis & manifestis febris indicijs correptus fuit, febrem indicantibus præter sitim & oris siccitatem, atq; pulsum magnum & crebrum, vrina crassa, rubra, & subfusca.

Est hoc castrum non procul à maris septentrionalis littore situm, vbi eadem, quæ in Frisia vtraq; aquarum ratio est, quibus ad decoquendum cibum, & cereuisias suas, passim ibi agricolæ & incolæ vtuntur. Cum quibus & cibis præfectus hic delectabatur crassis & melancholicis, cuiusmodi frequens ibi tùm vsus erat, sicut meis oculis vidi.

Hic etiam propter frumentum in agro corruptum, & à continuis pluuijs extinctũ & submersum

maiore tristitia ac longiore affectus, idem quod prior, à somno repente passus est. Nam prolem domi habebat copiosiorem, & præfectura hæc restricta ei tantùm ad certos annos, sex scilicet vel septem fuit, ex lege & consuetudine, Hamburgensibus, huius castri dominis, recepta & sancita.

Accedebat ætas vergens, quæ ferè ad rem omnes attentiores facere solet, & eò plus de viatico solicitos reddere, quò minus restat huius vitæ viæ & spacij. Cùm baculus panis nostri DEVS sit, si ex animo hoc ipsi concrederemus.

Sed hæc stulta hominum solicitudo est, vt in futurum longius sæpe prospiciant aut prospicere cupiant, quàm sua aut suorum vita nonnunquam attingit.

In hoc quoq; cum crassior sanguis abundaret, à venæ sectione curationis initium factum est. Postea conuenientibus huic morbo & febri remedijs, diebus quatuordecim, quibus cum eo fui, res eò deducta DEI beneficio fuit, vt crus prius immobile, (post viginti dierum doctissimi alioqui medici curationem, sed circa hunc morbum minus exercitati) sponte in altum eleuare & concutere, manumq; leuiter mouere inciperet, manifestos quotidie faciens progressus.

Qui post nostrum isthinc discessum nulla habuit incrementa, sicut à filio ipsius ciue honesto, & præclaris ingenij dotibus prædito, intellexi. Nam nullis nostris monitis obtemperans æger consueto victui melancholico & crasso indulsit, genio suo seruiens. Etsi ad septuagesimum annum accedens ætas, suorumq;

rumq; salus & commodum, melius ac rectius eum hac de re admonere debuissent.

Obseruatio XXIX.

EAndem hanc paralysin, alius illius ciuitatis Hamburgensis ciuis, & celebris olim mercator, post graue damnum, debitorum perfidia acceptum, expertus est. A quo eò granius vulneratus ipsius animus fuit, quantò elegantior, & honesti rectiq; amantior fuit. Quos magis etiam aduersa fortuna afficere solet. Siquidem talis esse omnium testimonio perhibebatur.

Huius vrina, cùm eum primùm viderem, rubra quoq; & subobscura fuit, atq; subfusca, & pulsus cum molesta oris siccitate iusto crebrior. Curatus etiam ijsdem à me medicamentis est, quæ cum febris curatione malum hoc profligant, vt intra quinq; hebdomadas rursum templa visitaret, etsi annum ætatis suæ ageret septuagesimum tertium.

Simili paralysi rusticus Holsatiæ, & senex ille, qui molestam litem extra patriam diutius persequebatur, laborarunt, & præter hos alij quàm plurimi. Siquidem hoc tempus calamitosum & triste, atq; hæ annorum constitutiones frigidæ & intemperatæ, huius morbi ac mali feracissimæ esse videntur. Nam quos hac affectione laborasse noui, omnibus ferè vel post crassum & melancholicum victum, vel post diuturniores tristicias aduenisse eam memini.

Quemadmodum etiam ab hac causa Syndico

Hamburgensi accidit, ob nugaces astrologorum prædictiones, sicut ille mihi confessus est, grauius se torquenti, etsi aliam tristiciæ causam alij conijcerent.

Quod scribo vt hoc tristi tempore & calamitoso Reipub. statu, quomodo erga hunc morbum se tueri oporteat, quilibet cognoscat, cui mediocres facultates & mediocria commoda vitæ, cum Christi cognitione DEVS concessit & largius est, vt his contentus, cum diuini numinis prædicatione & laude, ijs lætus vtatur, fruatur. Atq; hoc cùm DEI quoq; munus & opus sit, qui tristis est, pro hoc beneficio DEVM inuocet, interea si facultates permittant, cibis vtatur laudatissimis & boni ac laudabilis succi, ac modico & generoso vino Rhenano vel simili.

Obseruatio XXX.

MAtrona honesta, honesti ciuis & mercatoris Hamburgensis vxor, grauissimis ventris, & membranarum, musculorum, crurum & abdominis lancinationibus doloribusq; laborauit, adeò intensis & vehementibus, vt præ doloris magnitudine maximè sub noctem, quò se verteret, nesciret.

Eius vrinæ crudæ, crassæ & albæ, multis crassis & rotundis, ac grauibus corporibus subsidebant, cum quibus tota vrinæ substantia crassa & conturbata videbatur, varia et varijs excrementis variegata. Sub vesperum ferè leuissimo horrore infestabatur, quam nullus sensibilis calor subsequebatur.

Pulsus paruus & inæqualis erat. A cathartico semper

semper vrinæ visæ, vt fieri solet, conturbatiores sunt, & grauiores dolores.

Primis enim curationis diebus, communem curationis methodum sequuti, ijs, quæ crudos humores concoquunt & incidunt, quæq; concoctos expurgant, medicamentis curationem attentauimus, sed nullo curationis successu.

Tandem ex perseuerante præter rationem vrinarum substantia crassa & conturbata, atq; sedimentorum substantia diuersa, permanentéq; super his vrinarum perturbatione & pingui earundem superficie, de sceletyrbe admonitus, ijsdem quæ cruditatem concoquunt medicamentis, ea admiscui, quæ ad hunc morbum vsus monstrauit, becabungæ scilicet decoctum cum paucis alijs, eiusq; expressum recenter succum.

A quibus intra tres dies curata fuit, absq; purgante medicamento, vrinis laudati coloris cum probis sedimentis apparentibus. Cæterum dum his medicamentis vteretur, crura & ventrem linteis conduplicatis & calefactis inuoluit. Tantum in his momenti diligens vrinarum obseruatio habet. Quamobrem medica praxis virum attentum & sobrium postulat.

Obseruatio XXXI.

Similibus crurum lancinationibus ciuis alter quinquagenarius, idem quoq; Hamburgensis laborauit, non continuò sed per interualla infestantibus,

& ad sui recursum ægrotantem ad ingressum tardum & impotentem facientibus, vt absq; adminiculo in plano & intra cubiculum pedes inuicem transferre non posset.

Huius vrinæ tenues & citrinæ, morbum eiusq; causam occultabant, quam pulsus prodidit paruus, debilis & inæqualis. In hoc victum crassum & melancholicum huic morbo occasionem dedisse dubium non est. Nam ad rem attentus erat, & corpore crasso ac subrustico.

Curatus tamen ijsdem ferè, quibus prior medicamentis in tribus diebus fuit, constituta prius conuenienti victus ratione, & pro potu communi exhibito ei vino Gallico rubro. Diuturnior tamen radicis morbi præcisio fuit, vt illius quoq; quem vehemens brachij lancinatio vexabat, etsi in illo quoq; paucis diebus sublatus dolor fuerit.

In his & similibus tùm ad pulsum, tùm ad vrinam attendere oportet. Et considerare nùm ex certa aliqua causa & ratione ad hæc lancinationes hæ fiant & consequantur, nec ne. Quod si nulla manifesta causa subsit, ex qua sequi debebant, & huius morbi significationem pulsus & vrina habeant, quòd huc & ad hunc morbum cogitationes dirigere oporteat, rationi consentaneum est, quatenus ex suis indicijs & signis vnumquemq; morbum dignoscere, & ab alijs discernere ac distinguere necesse est, quòd signorum confusio omnem medicandi rationem tollat & euertat.

Obseruatio

Obseruatio XXXII.

ALtera matrona honesta & suo marito chara, cum vomitu & frequentibus alui deiectionibus, intensis ventris ac intestinorum torminibus, ex quibus grauiter ægrotabat, ab hoc morbo quoq; correpta fuit. Initio continua siti, & labiorum linguæq; ariditate, continua, vt videbatur, febre laborabat, quæ post quintum diem tertianæ & intermittentis febris typum, at mendacibus tàm nothæ, quàm veræ tertianæ signis ostendit.

Post septimum paroxysmum inter cætera ægrota de vehementi angustia sub diaphragmate ad ventriculi regionem infestante, conquesta admodum est, vt ab ea sibi & vitæ suæ metueret, erectaq; spiraret, & cibum non nisi cum difficultate deglutiret.

Cuius causa quidam ab experientia medicus, marito huius à pluribus annis notus, cui ascitus curationis collega fui, à pituita sic eum infestari putabat. At ego contrà post tot tantasq; humorum eruptiones, atq; tot febris paroxysmos, & tàm multorum dierum inediam ac parsimoniam, adduci non potui vt crederem, de ventriculi dolore & pituitosis eius excrementis tùm magis, quàm antea, conqueri eam debere, de qua nihil conquesta prius fuerat.

Quamobrem ex victu melancholico & crasso, quo vsa ac delectata fuerat, vrinisq; nigris & subfuscis, atq; frequenti earum & præter rationem permutatione, aliam subesse causam defendebam & conuincebam, quam ab angustiæ proprietate, vt &

ab vrinis & pulsu, ac febris specie, & raris febrà huius symptomatibus, ac inuasionis modo, scorbuto adscribendam esse obtinebam, pluribusq; rationibus ostendebam & demonstrabam.

Quocirca seri caprini vncias quinq; ex aceti affusione parari iussi, & in ijs cochlearia manipulos duos aliquandiu macerari, ac fortiter exprimi mandaui, & post expressionem, syrupi acetosæ ex succo acetosæ vncias duas ei addi. Idq; totum frigidum illi bibendum dedi. Nam præterquam quòd æstuum tempus & calidum esset, ac caniculæ, quod puto, tempus, ægrota quoq; plurimo calore æstuabat.

A quo bidui madore perfusa, ilico liberata ab his angustijs, vt Consul Embdanus Nicolaus Horn, cum omnium symptomatum remissione, ac manifesta febris declinatione fuit.

Quamobrem pergendum porrò mihi in mixta febris ac scorbuti curatione putaui. Qua effectum DEI gratia ac beneficio fuit, vt pristinæ valetudini restitueretur, quæ omnibus deploratæ ac desperatæ valetudinis esse videbatur.

In huius morbi suspicionem primùm vrinæ me hic adduxerunt, variæ tùm colore tùm consistentia. Quam postea confirmauit iam dicta angustia.

Cuius curationem sub canicularibus diebus, ac vehementi aëris æstu, tardabat febris vehementia ac magnitudo, debilitantibus quoq; illam hinc inde, cùm alui dejectionibus frequentioribus, tùm grauissimis ventris intestinorumq; lancinationibus.

Cum

Cum ijsdem & similibus omnino symptomatibus, ab hoc morbo nuper duæ correptæ puerperæ fuere, quæ etiam nostra opera, DEI gratia, his medicamentis, aut similibus, & hunc morbum curantibus, rursum ad valetudinem ex grauissimis suis morbis reductæ fuerunt.

Obseruatio XXXIII.

QVæ primo partu puerpera annum decimum octauum agebat, nauta cuiusdam in Hispania absentis vxor, diu ante partum tristis & submœsta, atq; præter ætatem ac consuetudinem solitudinis cupida ac amans fuit.

Hæc quintâ à partu hebdomada, pungente lateris dolore, cum tussi & sanguinolenta expuitione, notha scilicet pleuritide correpta, paucis nostris medicamentis anodinis & foris inunctis, & sputum facilitantibus concoquentibusq; eclegmatibus & syrupis, intrà triduum DEI gratia ab hac liberata fuit, apparentibus tùm vrinis colore & substantia laudabili.

Quæ rursum post biduum à facta hac curatione conturbatæ, crassæ & subrubicundæ visæ sunt, cum furfuraceis excrementis, manifestè colliquationis signum habentibus, quas sic absq; siti, aut vllo molestioris caloris sensu reddebat.

Atq; tales toto morbi tempore eas fuisse, & ante partum quoq;, parentes quibus cum domi viuebat affirmabant. Quas manifestum huius morbi indicium habere, antea dixi, si absq; certioris morbi significatione,

ficatione, & citra humoris melancholici expurgationem, tales diutius excernantur.

Appetitus extremè prostratus erat, etiam propter animi fortè dolorem, quem credibile est iuuenculam & nuper nuptam, puellam teneram & delicatam, ex diuturniore mariti sui absentis desiderio contraxisse, pulsus paruus sentiebatur, debilis & inæqualis, adeò vt vix digitis perciperetur.

Qui etiam meritò talis fuisse censeri potest, propter mortis instantiam, ac natiui & innati caloris extinctionem & interitum. Pridie quàm moreretur, de genu alterius dolore conquesta, ab exteriore eius parte, maculas nigras & scorbuticas maiores, huic morbo, sicut tonsores nostri nouerunt, familiares, nobis ostendit.

A quarum eruptione, postridie, diebus quos bachanales ex gentilium appellatione denominant, placidè decessit. Diebus inquam, quibus ignara DEI plebs populusq; crapula & ebrietate se contra graue DEI mandatum onerare, & splendidè epulari solet, hæc DEI optimi maximi mensis cum pijs omnibus accumbere, epulisq; cœlestibus suaui conditionis permutatione satiari meruit, præsentis vitæ calamitatibus defuncta.

Siquidem pia & modesta fœmina, in constanti Christi Domini & Seruatoris nostri confessione ac fide, à diuini verbi ministro proposita, quietè obdormiuit. Quod nobis etiam peracto hoc vitæ curriculo

concedat

concedat misericors DEVS & Pater, in Christo filio suo dilecto, Amen.

Hæc ad cutem & ossa consumpta erat, cùm hac pleuritide corriperetur, & à me primùm visitaretur, vt sceleti verius quàm hominis speciem ac formam referret. In qua si tempestiuius medicum consuluisset, scorbutum morbum ostendere vrinæ prædictæ, absq; siti & molesto caloris sensu excretæ potuissent.

Atq; præter has pulsus, & citra vllam morbi manifesti significationem ac præsentiam languor continuus: nec non præter causam veteribus proditam adueniens ipsi tabes & marcor. Quibus subscribere debuissent, victus, & vitæ ratio melancholica ac tristis.

Obseruatio XXXIIII.

PAuper & miser qui Hamburgi extra portam ad Albim decumbebat, & annum vnum ab hoc morbo agrotauerat, ad ossa consumptus quoq; erat, cùm primùm ad inuisendum eum inuitarer. Ita vt desperata tùm eius curatio videretur, eius dico, cui nulla recuperandæ valetudinis media suppetebant.

Est q; ad conferendum liberaliter eleemosynas populus ibi tardus, cùm quòd Christiana charitas refrigerata sit, tùm quòd propter temporum angustiam ac difficultatem, sua cuiq; sit curta supellex.

Præscripta tamen ei quædam à me medicamenta solatij ergò sunt, quæ anxietates, quibus per interualla laborabat, nonnihil quidem mitigabant, sed radici-

radicitus morbum eiusq; causam præcidere non valebant, multò minus exhaustum eius corpus reficiebant restaurabantq;, vtpote quem ad bene beateq; viuendum media deficiebant.

Neq; erat tunc satis adhuc, vt verum fatear, nota mihi huius symptomatis curatio, quam propterea eò diligentius in morbi enarratione examinaui & excussi, quò rectius in posterum sic affectis consuli posset.

Itaq; cùm post plures hebdomadas mortem instare atq; adesse ipse sentiret, in futuræ vitæ, & aduentantis Christi Domini ac Seruatoris sui, spem certam manus suas attollens, cùm de IESV bonitate & misericordia, quæ omnibus afflictis præstò est, ei loqueremur, tandem vitam hanc ærumnosam feliciore morte, imò vita beatiore commutauit, nobis quoq; eiusdem auxilium fauoremq; precatus.

Quem propter eundem suum filium Dominum & redemptorem nostrum, sic ad vltimum vitæ halitum, mihi pro ineffabili sua misericordia DEVS conferat & conseruet, indiesq; pro immenso suo erga genus humanum amore ac dilectione auctiorem reddat, ad sui nominis gloriã, & animæ meæ salutem.

Huius vrina à sani hominis lotio nihil differebat, vt nullum inde indicium capi potuerit. Sed pulsus paruus & languidus, non obscurè morbum detegebat. Quem liquidò quoq; anxietates monstrabant, sub diaphragmate ad ventriculi regionem infestantes, ac respirationem coarctantes.

Quibus languor accedebat, & ex nulla manifesta causa

causa veteribus cognita, marcor & atrophia, confirmantibus idipsum, quæ sub vitæ finem erumpebant, maculis purpureis & citrinis, per totum corpus disseminatis.

Atq; his vberiore indicio subscribebat victus melancholicus & nauticus, quo vsus hic semper fuerat. Nam piscator erat, alys quibus operam suam locabat, certa mercede subseruiens.

Obseruatio XXXV.

IN eandem atrophiam ac consumptionem ab hoc morbo incidit apothecarius Hamburgensis. In quo cum febre & saturatæ rubedinis vrinis morbus incepit, apparentibus quæ in matulæ fundum subsidebant excrementis crassis, furfuraceis & subrubris.

Pulsus in initio vigente febre occurrebat durus, serratilis & inæqualis, non dissimilis ei, qui in pleuritide, ossibusq; adiacentium membranarum inflammationibus sentitur, absq; eo, quòd quicquam de his æger conquereretur. Qui postea trahente morbo moram, & febre deferuescente, adeò languidũ & paruum se digitis offerebat, vt cum tali pulsu hominem viuere posse, Italus medicus, nostrarum constitutionum ignarus, admiraretur.

Nam repere magis quàm pulsare videbatur, & cum veterum pulsuum aliquo collatus, nulli propius assimilari quàm vermiculari poterat, etsi interea obambulando, omnia domi & intra priuatos parietes officia, æger obiret.

Quapro-

Quapropter qui in medicis prædictionibus apud nos aberrare nolit, non vnam tantùm, sed omnes regentes corpus nostrum facultates simul considerare, & inter se conferre debet: Et si quæ debilior aliquod mali præsagium ostendat, diligenter perpendere & examinare, num illi quoq; reliquarum facultatum actiones consentiant.

Sæpe enim ex morbi proprietate quædam nostræ facultates afficiuntur, vnde non tàm debilitas earum quàm morbi proprietas designatur.

Quemadmodum videre in hoc morbo licet, qui quantum dijudicare ex pulsu possumus, vitali cordis facultati extremè aduersari videtur, eamq; ex sua proprietate infestare, sed non tàm vitæ ac mortis præsagio, quàm morbi indicio, hoc signo se prodentis & ostentantis.

Quod hîc diligenter cogitare medicus debet, qui in prædictionibus suis turpis videri nolit.

Quamobrem si quando in talem pulsum apud nos incidamus, non prius de vita & morte pronunciare debemus, quàm reliquæ corporis facultates nobis excussæ sunt & æstimatæ.

Similem pulsum nuper admodum experti in quodam iuuene Embdano sumus, continua febre ab hoc morbo correpto, cum pulsu adeò paruo & languido sed crebro, vt vix digitis eum perciperemus. Cuius causa ægrotantem prænonui, ne de lecto temerè se præcipitaret, propter animi deliquium, quod hic pulsus ei surgenti minaretur.

Quemad-

Quemadmodum semel atq; iterum expertus est, alui exonerandæ causa ad surgendum inuitatus. Quapropter ad omnia postea (respondente prædictioni nostræ euentu) obsequentiores habuimus non solùm ægrotantem, sed & domesticos & adstantes.

Fuit hic domesticus cuiusdam Notarij Embdani VViardi à Lengen, viri honesti ac probi. Hanc historiam obiter hîc inserere volui, vt ab his de prædictionibus considerate instituendis admoneremur, ne ab arteriæ pulsu, ac vnius facultatis consideratione ijs formatis cõceptisq; temerè magis quàm vere cum artis ignominia deciperemur, & nostrati vulgo ad contemnendas bonas artes procliui, vllam calumniandi disciplinas honestas ansam & occasionem præberemus. Nunc quæ de priore historia pertractanda restant, porrò persequemur.

In qua etiam huius morbi indicio ac significatione notandi sunt, frequentes vomitus, quibus laborabat, conatus, absq; vlla sensibili, quantùm ad sensus & rationem, ventriculi affectione, subinde & per interualla recurrentes, & sæpe inani magis vomendi conatu infestantes, quàm quid dignum quod eo educeretur reijceretur q;.

Qui si aliquandiu, & per plures dies intermitterent, vt de victoria triumphum duo eius medici senes, eadem ferè curandi dexteritate præditi, canerent, ecce subitò rursum & præter causam manifestam veteribus descriptam, ijdem vomendi conatus, iuxta nostram prædictionem, cum ventris lancinationibus,

quibus impliciti erant, reuertebantur, idq; alternaris & diuisis quibusdam vicibus, donec frequentiore eorum recursu, & diuturniore morbi gliscentisq; febris ac putrefactionis huius mora, totum eius corpus exhaustum, sceleti magis, quàm hominis formam referret, & faciei colorem æger citrinum ostenderet, super epatis affectione contestantem.

Diximus suprà longiore huius morbi mora epar vitiari, ab eoq; vitiato alimentum corrumpi ac deprauari, indeq; collectas superfluitates alijs in abdomen effundi, hydropico tumore illud attollentes, alijs in ventriculum, vomitu ac deiectione reijciendas, sicut in hoc præsenti ægroto contigisse videmus.

Sed & cum hac totius corporis macie, à superata vi morbi, eum continuus languor, ac leuis omnium membrorum, inprimis verò brachiorum resolutio apprehendit.

Ex quibus vix biennij spacio, post varias peregrinationes aerisq; mutationes, comparatis in eam rem curru & equis, eluctatus est, nihil missum faciens, quod ad corporis animiq; recreationem pertineret, subinde cantionibus musicis & instrumentis sese reficiens & oblectans.

Etsi in cibo nullum ne tùm quidem delectum seruaret, vbiq; appetitui indulgens, nisi quòd lacte & lacticinijs vteretur frequenter, & quibuslibet ferè cibis diagalangæ pulueris aliquid misceret.

Atq; ab hac victus negligentia nunc paulatim

rursum eum absumi intelligo, qui hoc triennio toto mihi visus non est.

Hic si medicum in initio nactus fuisset, huius morbi peritum, aut nostra qualicunq; opera vti voluisset, curari meo iudicio in quatuordecim diebus aut circiter potuisset, sicuti ab eodem morbo curati nostra opera ibi alij fuerunt.

Sed fiunt hæc (haud dubiè) DEI iudicio ac prouidentia, ingeny nostri aciem obfuscantis, quando nos punire, ac paternè ad animi nostri salutem castigare decreuit.

In hoc ægroto in initio multa occurrebant, quæ hunc morbum indicare potuissent.

Inprimis vrina crassa & subfusca, cum sedimentis supra scriptis, præterea pulsus in morbi principio ob putrefactionis magnitudinem durus & inæqualis, absq; membranæ vllius affectione, & post diuturnam huius morbi moram paruus & debilis. Tertiò vomitus ex nulla manifesta ventriculi affectione incipiens, & nullis veterum medicamentis cedens. Vltimò brachiorum paralysis & languor, & sine manifesta ac veteribus cognita causa, atrophia & contabescentia.

Obseruatio XXXVI.

QVæ ex diuturnis crurum vlceribus laborauerat fœmina, matrona honesta & marito suo chara, etiam ab hoc morbo correpta, cum modica siti, & omnimoda appetitus deiectione fuit, nec non totius

corporis laßitudine, & animi deliquio, quoties ſe erigere, aut de lecto ſurgere conaretur.

Qua de cauſa facili hac ad linquendum inclinatione, maritus perculſus, medico empirico à multis annis familiariter ſibi noto, curationem amplius committere non auſus, ſub veſperum me accerſiri curauit.

Qui prima manus mea ad pulſum applicatione, vt morbum, ſic deliquij cauſam cognoui, ſicut poſtea tridui curatio comprobauit.

Nam in tribus plus minus diebus, paucis noſtris medicamentis reſtituta integræ ſanitati fuit. Huius vrinæ, cùm primùm eam inuiſerem, craſſæ, albæ & turbidæ fuerunt, multo crudo & craſſo excremento conſpicuæ.

Pulſus autem paruus vt dixi & debilis, ſimilis illius, qui in ventriculi orificij obſtructionibus ſentitur, abſq; eo, quòd quicquam de hoc ægra conqueretur. Simili deliquio complures ab hoc morbo correpti fuere, alij cum febre, alij citra febrim.

Soletq; id certißimum huius morbi argumentum haberi, ſicut ſuprà oſtendimus, ſi præter rationem, & in lento morbo, à quo parum vel nihil decumbentes infeſtantur, illud aduenîat. Ita enim duabus accidit puerperis item adoleſcenti, & vicini mei ſarta mecum tecta inhabitantis, ſorori, virgini, ciui Hamburgenſi, nec non Illuſtris ac Generoſi Comitis Ezardi coniugi Illuſtriſſimæ, ac Dominæ meæ clementißimæ, alijsq; quam pluribus. Sed quia huius

ſympto-

Symptomatis eadem vbiq; ratio est, nolo in recensendis hisce exemplis prolixior esse.

Obseruatio XXXVII.

DEiectiones varias ab hoc morbo experta tributarij filia est, quæ multo crudo frumento ventriculum corruperat, quò colorem consequeretur albicantem, sicut stulta quadam persuasione, magno valetudinis incommodo, sibi inuicem nunc virgines persuadent. Interea tantas sensit angustias, vt præsens suffocationis periculum, non abs re, omnes adstantes metuerent.

Siquidem præter respirationis difficultatem quam sentiebat, subinde quoq; cum angustia densa caligine oculi suffundebãtur, vt iam iam moritura videretur.

Sitis aderat infesta, etsi parum singulis vicibus biberet: Nam & febre laborabat continua, & pulsum habebat crebrũ, sed paruum, debilem & inæqualem.

De angustiæ sede interrogata, eam ad stomachi regionem sub diaphragmate monstrabat. Huius curationem cùm Luneburgi in curatione cuiusdam patritij occuparer, tractabat doctißimus vir Doctor Ioannes Bentzius, olim Electoris Saxoniæ, nunc verò Daniæ Regis medicus dignißimus. Cui, post reditum ad meos, ascitus collega curationis fui.

Ideoq; vt primùm ad ægrotantem conuenimus, consideratis morbi symptomatibus, omnibusq; excussis, præscriptis prius ab ipso medicamentis succi cochleariæ nonnihil admiscuimus.

A quo in copiosum sudorem ilico soluta, postridie à repetito semel atq; iterum medicamento, ab anxietatibus respirare cœpit, quæ tertio die plurimùm imminutæ, & quarto planè euanuisse videbantur, in octo diebus porrò integræ sanitati à grauissimo hoc morbo restituta, alui deiectionibus, quæ huius morbi symptoma erant, sponte desinentibus, ne qua alia ijs sistendis curatione opus esset.

Quæ etsi frequentes fuerunt, minimè tamen copia ijs, quæ in diarrhœa fluunt, respondebant.

Sed hæc vsu & exercitatione rectius, quàm traditione addiscuntur. Siquidem quantitates exquisitè in medicina determinare difficile, imò impossibile est, si Galeno credimus, primo ad Glauconem libro.

Obseruatio XXXVIII.

AQuè frequentibus sed magis compactis deiectionibus ab hoc morbo, cum maximis ventris torsionibus, subinde & per interualla recurrentibus, laborauit quidam subruffus, breuis ac gracilis.

Cuius vrinæ crassæ & subrubræ erant, in quibus multa excrementa crassa & furfuracea subsidebant, à quibus nihilo magis superior vrinæ substantia clarescebat. Quas huius morbi non infidum argumentum habere supra diximus.

His iuncta vberiore huius morbi nota respirationis angustia erat, per interualla recurrens, & sub diaphragmate ad ventriculi regionem infestans.

Quæ fluente aluo paulò remissior videbatur, eademq;

demq; stante grauior, magisq; respirationem coarctans.

A medicamentis huic morbo conducentibus, cum angustia alui fluxus ac tormina ventris cessarunt; symptomatibus morbi manifestè mitescentibus, quæ à bidui medicaminum horum intermissione, rursum vt prius, intendebantur & crescebant.

Erat enim in assumendis medicamentis æger difficilior ac tardior, neq; mihi facultas quotidie eum inuisendi.

Quocirca cùm quodam ad eum die venirem, conspexi thoracem ea motus specie moueri, quam quarto de locis affectis libro Galenus describit, in anterioribus scilicet versus iugulum, in vtroq; latere ad summum humerum, vt scapulas versus in parte posteriore.

Sub qua respiratione pulsus occurrebat paruus, debilis & inæqualis, cùm adhuc solus ante duas horas obambulasset, & sponte de lecto descendisset, atq; tunc etiam firmo & valido iudicio omnia decerneret.

Itaq; tam subitam mutationem admiratus, cùm ex virium imbecillitate eam sequi non posse mihi persuaderem, ob causas prædictas, non dubitaui ab auctiore respirationis angustia huic morbo competente, eam excitari ac commoueri.

Quapropter accommodata huic angustiæ ac respirationis difficultate medicamenta ei præscribo, donec pararentur in officina pharmacopœi commoratus,

ratus, & aliquandiu post, donec à calore ad actum perductum medicamentum esse putarem.

Quando rursum eum inuiso, & de valetudine percunctor, qui percunctanti mihi, se DEI gratia melius ac rectius habere respondit.

Erat quoq; illa respirationis vehementia sedata, spirabatq; rursum communi respirationis modo. Quare vbi aliquandiu ad ægroti lectum consederam, & abitum aliò pararem, ægroto mandaui, vt quietum se in lecto teneret, neq; facilè se dimoueret, quòd ea res animi deliquij, ex quo facilè reuocari non posset, periculum haberet, adstantibus verò, vt eandem potionem statim post mediam noctem rursum ei exhiberent.

Atq; ijs abij, ægroto & adstantibus valedicens.

Cæterùm ægrotus dicti immemor, cum aliquandiu post meum discessum periculum sese euasisse putaret, in lecto se (contradicentibus amicis) erexit, vt erectus in lecto sederet. Sed paulò pòst deliquio, vti prædixeram, correptus, subitò in dorsum relapsus est, vnde reuocari ob imbecillitatem non potuit.

Est hoc ad animi deliquium huic morbo familiare, vnde plurimi præter spem subitò extinguuntur.

Quemadmodum nuper cuidam etiam puerperæ, fœminæ Antuerpianæ contigit, de suræ ac pedum dolore huius quoq; morbi symptomate, sicut antea dixi, diutius conquestæ; quæ subitò, vt ab alui deiectione rursum in lecto se collocare voluit, hac lipothymia correpta, extincta fuit. Qua etiam ab hac angustia

nuper

nuper altera correpta puerpera, inter loquendū obijt.

Sed hos rursum suo tempore DEVS excitabit, cum præcinentibus tubis, ad iudicium venturus Christus est, & se toti mundo conspiciendum dabit. Quod breui futurum esse huius temporis acta commōstrant, si cum Euangelicis prædictionibus, ac vaticinijs Apostolorum conferantur.

Quæ hîc scelerum orbem ostendant, in contextu diximus, vt nihil molesta eorum repetitione hîc opus sit.

Ipsemet quoq; æger à medicamentis sese alleuari, ac melius habere confitebatur, sed morosus & in assumendis illis tardus, quòd naturâ ab ijs abhorreret, neq; ægrotare antea, neq; pharmaca bibere consueuisset, quoties meliusculè se habere percepit, ea neglexit, rursumq; ad morbi recursum ea, sed paucis hauſtibus, repetijt, quantum ad mitigãda symptomata satis erat, non autem præcidendum radicitus morbi fontem.

Sed & venæ sectione opus fuisse, ani venæ turgidæ monstrabant. A qua adeò abhorrebat, vt nullis nostris persuasionibus adduci isthuc potuerit. Neq; erant ad manus sanguisugæ, neq; chirurgus dexter, qui eas aperiret, quod alioquin non satis tutum quidam existimant.

Obseruatio XXXIX.

QVi cælibem vitam agebat, nobilis diues & luxuriosus, de respirationis difficultate inter eundum mihi aliquando conquestus erat, cuius curationem

tionem cùm diutius negligeret, accidit vt varijs deiectionibus vomitibusq; per interualla recurrentibus, cùm fortè ab vrbe, aliò vocatus abessem, corriperetur, cum vrinis rubris, multo rubro & furfuraceo sedimento, in matulæ fundum subsidentibus.

Purgata à suo medico huius morbi imperito sæpius est, eò quòd propter vomitus frequentiam, in ventriculo mali causam residere sibi persuaserit.

Foris quoq; emplastris & fomentis calefacientibus ventriculum, at nullo successu, fouebat. Exhibitis quæ ventriculum calefacerent & corroborarent tam potionibus, quam electuarijs & pulueribus.

Quibus tandem adeò exustus in venis sanguis fuit, vt si quandoq; vel minimùm brachia et dependerent, statim ad venas sanguis confluueret crassus, ater, grumosus & glomerosus, non aliter atq; si extrinsecus in venas sanguinis grumi affusi essent, qui varicoso & inæquali tumore, venas quibusdam quasi tuberibus attollerent & eleuarent.

Deiectiones, quibus laborauit, compactæ quidem fuerunt, sicut fieri in cœliaca passione solet, sed pro ratione assumpti alimenti frequentes, & copiosæ, nec non variæ & diuersorum colorum, aliquando cinerittiæ & albæ, aliquando luridæ & nigræ, nonnunquam verò cæruleæ & croceæ, vt plurimùm autem virides, colore planè herbaceo, sed semper compactæ & copiosæ, vt mirari quis cum stupore meritò tantam excrementorum copiam posset, sub tenui & parco, quo vtebatur, victu.

Hic

Hic cum media æstate, medici sui permissione, sub calidissimis radijs solaribus, in multa hominum frequentia & concursu, ad spectandum de maleficis sumendum supplicium, obequitaret, subitò rapto sursum, versus caput & cerebrum, sanguine hoc crasso & adusto, vel fumorum ab hoc exhalantium copia, pluribus paroxysmis epilepticis corripitur, à quibus vt ad se reuersus fuit, in vrbem rursum deportatur.

Quando Doctori Ioanni Bentzio medico doctissimo, ac mihi curatio commendata fuit. Qui de sanguinis missione dum deliberamus, & hinc inde indicationes capimus, & inter se conferimus, suadentibus eam venis turgidis, ac rursum dehortante eam longa corporis extenuatione & cadentibus indies viribus.

Ecce subitò sursum denuò ascendens sanguis, pluribus grauissimisq; paroxysmis epilepticis & conuulsiuis, huic morbo quoq; sicut supra ostendimus familiaribus, horrenda morte ægrotantem occidit. Vtile imò necessarium fuisset, reuulsionis ergo huic hæmorrhoides aperire. De quo remedij genere non semel inter nos agitatum fuit, nisi quòd propter sanguisugarum inopiam isthuc deuenire non potuimus.

Obseruatio XL.

QVæ extrà ciuitatem Hamburgensem ad portam habitabat fœmina, propter multas melancholiæ, quas secum mussitabat, causas, à biennio ex bono & athletico habitu macilentior facta, decubuit,

buit, cùm illam inuiserem, de angustia subinde recurrente, & sub diaphragmate ad ventriculi regionem infestante, grauiter conquesta.

Pulsus paruus, debilis & inæqualis erat, & vrinæ crassæ, albæ & turbidæ, quibusdam partibus subsidentes, à quibus superior substantia nihilo clarior appareret.

A quibus & respirationis angustia, de sceletyrbe admonitus, media hyeme duabus vini Gallici libris addidi cochleariæ succi libram dimidiã, eiusq; mixturæ vncias quatuor, bis quotidie, ægrotanti propinaui, optimo curationis successu, ita vt post triduum rursum ad consuetas operas rediret.

Hanc cum sub multa aëris serenitate ex deambulatione aliquando pòst inuiserem, conquesta mihi de capitis dolore subinde & per stata interualla recurrente est, circa capitis verticem eam infestante, à quo totum ferè antea quoq; biennium diuexata fuerat.

Sentiebat eodem tempore ijs in partibus quid quasi repere. Atq; vbi ad diem vnum atq; alterum sic diuexata fuisset, postea ad temporum musculos primùm, deinde ad maxillam & dentes, dolorem transire, dentem semper, in quem influeret, relaxantem, qui rursum spontè firmaretur, dolore tumoreq; discussis.

Quod hîc admonere volui, vt ostenderem, quàm varia sint huius morbi accidentia. Nam dentis laxatio, eiusq; spontanea confirmatio, suspicionem mihi, & non

& non vanum argumentum præbuit, ab hoc quoq; morbo malum illud procreari.

Multos etiam toto hoc tractu, & in omnibus hisce regionibus vicinis inuenies, variis doloribus infestari, quos alij similes dicunt, atq; si digitis ipsis carneæ croporis particulæ euellerentur, alij pungentes affirmant, alij contundentes & exedentes, alij ne quidem explicare queunt.

Sed & sub noctem alios grauius, vti in Gallico morbo, alios sub horas matutinas excruciari, audimus. Tanta enim horum varietas est, vt scriptis omnes has dolorum species comprehendere, non minus facile sit, quàm arenam maris numerare.

Est q; omnium agnitio ex pulsu paruo & inæquali. Nam vrina sæpe nullam huius morbi in his significationem habet. In quibusdam etiam facilis doloris de loco in locum translatio, in initio morbi speciem demonstrat. Neq; est omnibus ex æquo hæc communis, sed paucis & aliquibus tantùm, quamobrem certius indicium hîc est, quod à pulsu sumitur, & doloris quoq;, si velis, proprietate.

Obseruatio XLI.

Sartoris coniunx, quæ ex vico Friburgk agro Kedensi ad me venit, de ventriculi ad os vsq; obstructione instar pali totum œsophagi meatum obturante, grauiter conquesta est. Quod ventriculi cruditatis signum, omnes medici practici norunt. Cui respon-

respondebant vrina tenuis & citrina, & pulsus parvus, qualis sentiri in his cruditatibus solet.

Præter hæc & de molesto crurum suræ dolore, quem inter eundum experiretur, eorundemq; imbecillitate conquesta, ab hoc de scorbuto admonitus fui, vt de ventriculi cruditate à prioribus.

Quare constituta prius victus ratione attenuante & incidente, pituitam incidentibus medicamentis, eà admiscui, quæ huic morbo conuenire dixi.

Subinde leui cathartico primas venas non transeunte, concoctos præparatosq; prius humores subducens. A quibus in tribus hebdomadis melius habuit.

Est hoc crurum accidens, & hic dolor pluribus apud nos familiaris, sæpe cum manifesta suræ crurum duritie tensioneq; coniunctus. Quapropter eius mẽtionem hãc facere volui, vt de similibus eò facilius lector iudicare, ac secum statuere posset.

Dixi in priore historia varios dolores esse, quos hic morbus commouere solet, qui etiam varias & diuersas, at ferè quaslibet corporis partes nonnũquã infestat, vt facilè scriptis eos comprehendere non liceat.

Ita nuper exhalantes ab hac putrefactione interna vapores, falsa pleuritidis specie & dolore latera pungebant, dolore adeò infesto & intenso, vt supra pedis altitudinem vna filia sẽ in lectum eijceret, hoc dolore per interualla infestata.

Quo & quidam meus etiam affectus domesticus fuit. Et ante aliquot annos cùm adhuc minus notus mihi omnibus suis symptomatibus hic morbus esset, cuiusdam

cuiusdam patritij Luneburgensis Domini Duysterhopij filius, qui tum ex nullo medicamine melius habuit, quam theriacæ vsu.

In quibus quoq; huius doloris, à veris pleuriticis doloribus, distinctio, à pulsu erat. Qui omnibus his paruus & inæqualis fuit, contrarius illi, qui in pleuritide occurrit.

Sed & doloris interualla, aliaq; superius enumerata indicia, facilè à pleuritide hunc dolorem distinguebant.

Alijs miris punctionibus digitorum extrema afficiuntur & articulorum interualla, vt quò se vertant sæpe ignorent. Quod à virulentis vaporibus haud dubiè fit, ab hac putrefactione, quæ huic morbo propria est, ad has partes deriuatis, eodem ferè, quo in Gallico morbo, modo, etsi diuersa sit cuiusq; putrefactionis species ac forma.

Quod obiter hîc admonere volui, quòd particularia horum exempla, in hac tanta ipsorum varietate, satis pro omnium qualitate poni ac scribi non possint, & omnia referre longum esset, imò tædiosum quoq;, cùm ab his de reliquis non difficile iudicium sit.

Obseruatio XLII.

SCriniarius ex agro oriundus, & inter rusticas operas manuale suum opificium subinde exercens, de priorum digitorum resolutione & languore, eorundemq; ac crurum inter eundum imbecillitate, paulatim vires & incrementum capiente, conquestus, eò studio-

eò studiosius operam meam implorauit, quò magis his membris, parandis acquirendisq; vitæ necessarijs indigeret.

Huius pulsus quoq; paruus & debilis erat, atq; vrina in initio tenuis & subrubra. A quibus & leui digitorum resolutione, nec non crurum languore & impotentia, de morbi specie edoctus, præscripsi ei medicamenta huic morbo conuenientia. Vnde post triduum ad me reuersus, molliores sibi celeriores q; digitos videri dicebat, Germanicè gladt vnd schmeidig. Medicaminis bonitatem commendans, à quo tam breui tempore tam manifestum ac præsens auxilium experiretur.

Itaq; ab ijsdem bis terùe repetitis, domum ad consuetas operas redijt, verbis animi gratitudinem testatus, quam etiam re ipsa pro ratione facultatum demonstrabat.

Obseruatio XLIII.

ADolescens qui Rigâ Hamburgum discendæ mercaturæ causa missus ab amicis fuit, vomitu molesto & subinde recurrente prius aliquandiu laborauerat, quàm ad inaspendum eum inuitarer, multo conatu parum, & non nisi aqueum quid, per interualla eductus.

Huius pulsus paruus & inæqualis, obuio testimonio morbum hunc prodebat. Cuius curationem voluntariè tùm differebam, quòd superato paroxysmo melius sibi & domesticis habere videretur; præterea vt fidem

vt fidem domesticis facerem, ab hoc morbo quòq; id eum pati, prædicens post biduum vel triduum citius vel serius, nouo & simili paroxysmo eum correptum iri debere. Qui non expectato triduo, ante biduum ei aduenit.

Quapropter nihil cunctandum eius herus censens, obnixè me orgauit, vt aliquod huic malo conueniens medicamen ei præscribere vellem, quo restitui miser, & ad pristinam valetudinem redire posset.

Iussi itaq; ob frigidam cœli constitutionem, in vino cõuenientia huic morbo medicamenta decoqui, ijsq; cochleariæ herbæ succi nonnihil misceri. Atq; eo solo restitutus fuit, vt nullo alio medicamine fuerit opus, nisi quòd huic in fine leuis submissa purgatio fuerit.

Vrinæ huius citrinæ & tenues, nullum huius morbi signum certum habebant.

Sed quando lento morbo, vel potius continuo languore affici aliquem absq; manifesto & veteribus descripto morbo cerno, à quo citra causam manifestam paulatim consumatur, & hisce vomitus conatibus, citra manifestam ventriculi affectionem infestetur, nunquam dubitare soleo, huic occultæ causæ, quæ à scorbuto est, eum adscribere, eò quòd à malignis & venenatis huius putrefactionis, iuxta splenem vt plurimùm residentis, vaporibus & fumis, eum affici & euerti, pluribus experimentis cognitum ac probatum habeam, quemadmodum per consensum eum affici in viscerum inflammationibus, & regio ac

arquato morbo videmus, & à classicis probatisq; authoribus & rerum magistra experientia docemur.

Quàm enim varias & multiplices affectiones melancholici humoris putrefactio efficiat, suprà ostendimus, vt molesta eius repetitione hîc non sit opus.

Neq; scio in his & similibus vnquam me aberrasse, quin in curatione semper optatum finem sim assecutus; Quod si morbi speciei pulsus & vrina (vt fieri solet) consentiant, maiore fiducia ad curationem accedo. Sicut in hoc ægroto pulsus maiore certitudine conceptam ex morbi proprietate sententiam confirmabat.

Obseruatio XLIIII.

CVi menses aliquandiu steterant & hæmorrhoides, quæ mensium vice subinde functæ fuerant, cibis semper delectata crassis fuerat & nauticis, quos facilè & sine difficultate concoquebat. Hæc etiam eodem hoc vomendi conatu correpta, indesinenter ferè atq; absq; intermissione vomebat, magis inani eius conatu infestata, quam quòd dignũ quid eo educeret.

Qui si aliquando aliquandiu intermitteret, grauius postea recurrebat, quamuis intermedio tempore nihil de ventriculo conquereretur, vel vllum eius morbum læsionemq; demonstraret.

Huius curatio vicino medico, viro docto & in veteri medicina exercitatissimo, commendata fuit, nisi quòd sub finem vitæ ad inuisendum eam inuitatus à

marito

marito eius fuerim, viro perhumano & docto, & Ecclesiæ Hamburgensis ministro. Sed quia de morbo cum priore medico mihi non conueniebat, sponte ab ea curatione abstinui, propter mariti amicitiam & beneuolum eius in nos animum simplici visitatione contentus, vt quò res vergeret, & quem habitura finem esset, viderem obseruaremq;.

Fuerunt autem vrinæ huius matronæ sub finem vitæ, tenues planè & aqueæ, quæ in morbi initio, sicut à domesticis intellexi, crassæ fuerant & conturbatæ, crasso ac graui & subrubro sedimento subsidentes.

Sed & obtusus cruris alterius dolor grauiter tum quoq; eam diuexabat, vt de nulla re magis, quàm hac cruris lancinatione tunc temporis, cùm eam visitarem, illa conquereretur. A qua adaucta mihi ac confirmata planè de hoc morbo sententia fuit. Quòd ex pathognomonicis huius morbi signis, illud quoq; æstimari debeat, & summo iure possit, si vt hîc, cum pulsu occurrat debili, paruo & inæquali.

Profuerunt huic nulla medicamina stomachica, etsi medico vteretur docto & erudito, qui in veteris medicinæ cognitione nulli cedebat.

Quin cùm omnia aspernaretur, vomituq; reiiceret, lac & lacticinia nullo valetudinis incommodo retinuit, vt à nulla re melius, quàm ab ijs se habere ipsamet testaretur, & res ipsa quoq; loqueretur.

Quod etiam non contemnendo huius morbi signo fieri, supra in morbi enarratione dixi. Quòd porrò

vomitus confirmabat citra causam veteribus descriptam ægrotantem infestans, ac nullis veterum medicamentis cedens, atq; ab ijs alleuatus, à quibus magis, exasperari secundùm rationem debebat.

His ex abundanti accedebat obtusus cruris dolor, & victus melancholicus & crassus, quo per omnem suam ferè vitam vsa fuerat.

Obseruatio XLV.

EOdem hoc vomitu vomendiq; conatu, ab hoc ipso, quod curatio monstrauit, morbo, correptus Embdæ quidam Augustanus fuit, vir iuuenis & annos natus plus minus triginta. Qui ante nostram curationē, vsus opera cuiusdam chirurgi hebdomadis quinq; (ni fallor) fuerat, nullo curationis successu, vt propterea de me accersendo, (rebus ad desperationem euntibus) quidam eius amici deliberarent consulerentq;.

Hic autem vt ad eum primùm veni, pulsum habuit maiorem, durum quoq; & inæqualem, non dissimilem illi, qui in membranarum inflammationibus, ac pleuritide occurrit, absq; vlla tamen harum affectione.

Vrinas verò reddidit varias, vt plurimùm verò rubras & subfuscas, modò turbidas, modò subsidentes, modò infractas. Quæ in fundum subsidebant excrementa, rubra, furfuracea & crassa erant. Exibantq; absq; vlla vel siti, vel molesto caloris sensu.

Hic, vicunq; frequenter vomeret, & absq; vlla viscerum

viscerum affectionis, inflammationisq; nota ac significatione, nihil tamen ab eius continuatione, victusq; qua vtebatur, parsimonia, adiutus alleuatusq; fuit, vt propterea non vulgarem nec omnibus conspicuam, sed latentem huius vomitus causam cogitare oportuerit.

Quam huic morbo adscribendam esse, vrina, nec non morbi species ac pulsus commonstrabant & conuincebant. A quibus de hoc morbo admonitus, paucis quibusdam ad hunc morbum pertinentibus remedijs, eum, DEI gratia, ad priorem valetudinem reduxi. Qui adhuc eodem in loco viuit & valet, etsi ab Augustano aëre salubritate, aërisq; suauitate multùm ille discrepet & distet.

Obseruatio XLVI.

QVi ex agro Hadelensi (vt vocant) ad me venit rusticus, de macie & totius corporis languore indies grauescente conquestus, cum his quoq; inter eundum crurum debilitatem, & post grauiorem motum etiam respirationis difficultatem, atq; ad præcordia prementem anxietatem sensit.

De morbi principijs & symptomatibus, quæ cum morbo inceperant, à me interrogatus, respondit totum ferè semestre varijs vomitibus se infestatum fuisse, qui à catharticis ab empiricis sibi exhibitis, nihil remiserant, sed potius intendebantur, sed qui sponte cum temporis mutatione, ætatisq; inclinatione desijssent.

Vrinas verò tum crassas sibi & rubras fuisse, in quibus multa subsederant excrementa crassa, furfuracea & rubra, calculi vt putarant recrementa, à quibus nihilo clarior redderetur extans supra hac vrina, sed turbida ac crassa perseueraret.

Erat autem æger ipse statura crassa & quadrata, corporisq; constitutione valida & firma. Qua nisi præditus fuisset, non potuisset illam empiricorum curationem sustinuisse ac superasse, vtpote huius morbi curationi valde aduersantem.

A qua etiam non semel ad orci fauces se deductum fuisse dicebat, ita vt sæpius pro mortuo ac derelicto se habitum esse testaretur. De meo consilio suasi ab aquis patrijs crudis & sublimibus abstineret: Cibisq; vteretur recentibus & facilis concoctionis, præterea ab ijs, qui sanguinem crassum & crudum gignerent sibi temperaret; Et ex carnibus veruecinas ac vitulinas deligeret, nec non caponum, perdicum, & columbarum ac gallinarum domesticarum. Pane verò puro & triticeo vteretur, non nimiùm inueterato aut nouo. Carnes quoq; ad veru assaret, (erat enim diues, vt facilè sumptus hos tolleraret) vel elixis ex aqua pluuiali, ac modico vino vteretur.

Atq; hac victus ratione sponte eum morbi reliquias superare posse putaui. Sed quid ipsi euenerit, non possum scribere, quòd ab eo tempore ad me nunquam redierit. Solet etiam id hominum genus sanitate nihil vilius habere, maximè si quid in eius conseruationem ac reparationem sit expendendum.

Obseruatio

Obseruatio XLVII.

Vidua vicini mei, & sarta mecum tecta inhabitantis soror, cum totius corporis lassitudine vrinisq; nigris crassis & turbidis, grauiter febricitare cœpit, protinus atq; erigeretur animo linquens. In morbi initio à medico suo viro alioqui docto, & in veteri medicina exercitato, purgata in summas angustias incidit, omnibus symptomatibus prædictis exasperatis, vt deploratam eius valetudinem omnes arbitrarentur.

Quando ad curationem à vicino inuitatus, varijs anxietatibus eam infestari vidi, sub quibus pulsus paruus, debilis & inæqualis erat.

Sitiebat multùm, & perpetuò os & labia sicca erant, bibebat verò parum. Nam copiosiore potu offendebatur, tantum potius, quantum labia & linguam humectaret, subinde assumens. Sub morbi declinatione omnes dentes vacillabant, ab hoc morbo laxati.

Vixerat autem negligentius, victu vsa parco & duro, patrijs aquis crudis & sublimibus, vt solent viduæ, quibus non est maritus domi, & res angustior. Erat enim splendidiore fortuna maritus deiectus. Quæ res tacitè etiam eam cruciabat, accedebant & aliæ tristiciæ causæ, quas secum mussitabat.

In hoc ergo eius statu, ijs quæ febrem curant, mixta nonnulla simplicia mihi fuere, sceletyrben à proprietate curantia, à quibus paulatim quantum febris remitteret, ad fortiora ascendi.

Sed & vnguento refrigerante ſpinam dorſi, pro febris mitigatione, inungi curaui, & ſub eiuſdem declinatione, ſanguinis parum ſubtraxi, quantum pro virium ac morbi ratione mihi ſufficere videbatur.

Atq; hac curationis via & modo, mortis faucibus hæc erepta DEI beneficio fuit, quæ alioqui omnium opinione deplorata, & ſæpius fato functa videbatur.

Sub idem ferè tempus, cum ijſdem vrinis ab hac ipſa febre correpta prætoris ſoror fuit, quam tum propter valetudinis incommodum, alioqui obnixè à marito rogatus, inuiſere non potui.

Vnde neſcio cuius inſtinctu ad empiricum deuolutus, artis noſtræ nullam cognitionem habentem, miſerè coniugis ſuæ valetudinem proſtituit.

Nam medicaminum calefactentium, & validiorum catharticorum exhibitione, breui eò rem deduxit, vt nulla præterea curatione indigeret.

Quod propterea ſcribo, vt oſtendam, cum his vrinis plerunq; febrem validiorem coniungi, quæ vt propter materiam, in qua reſidet, incidentibus, ita morbi cauſa refrigerantibus curari poſtulat, cum ijs quæ ad hunc morbum vſus monſtrauit, quòd neglecta huius morbi curatio, febris curationem impediat, cauſam habens, ſine qua curari, & radicitus euelli febris nequeat.

Quæ ſui mora diuturniore vires atterendo, ſæpe ægrotum interficit, aut in alium, & grauiorem morbum conijcit & protrudit.

Multa hìc ſcorbutum monſtrant, inprimis verò præter

præter pulsum & vrinam facilis lipothymia, & præter hanc angustia ad præcordia infestans, citra tussim ac thoracis affectionem, respirationem difficilem reddens.

Vltimò & dentium laxatio. Sed quia hæc primùm sub morbi finem incidit, minus ad monstrandum morbum hunc ponderis habuit, quòd prius ægrota ab hoc morbo interfici potuit, quàm ab hoc signo morbus cognosci.

Obseruatio XLVIII.

Præfecti arcis in Nienhusen coniunx, exiuncea gracilitate, breui & intra biennium, adeò pinguem & carnosum corporis habitum contraxerat, vt cum athletico certare facilè potuisset. Etsi adhuc iuuencula esset, & annorum plus minus viginti.

Hæc etiam aliquandiu ægrotauerat, priusquam ad eam euocarer. Itaq; de morbi initio, & symptomatibus, quæ cum morbo inuaserant, inquirenti mihi respondit, primùm leuissimis horripilationibus se quotidie correptam fuisse, quæ aliquando bis, & quandoq; etiam ter eam infestassent, atq; cum his febris horroribus simul œdematoso tumore pedes sibi intumuisse, leuissimo rubore permixto, sed qui ad albedinem magis inclinasset, atq; nullo sensibili dolore aut calore se offendisset, nisi quòd ad ingressum tardam se & impotentem reddidisset.

Cæterùm nullo in loco diu eum substitisse, sed facili momento de loco ad locum, atq; de vno pede ad alium hunc

um hunc tumorem in initio translatum fuisse, & sæpe ab vno pede ad alium eodem die eum resilüisse, magna sua & suorum admiratione.

Atq; ab eo tempore omnes corporis vires magis magisq; indies fractas fuisse, vt eo ipso tempore cùm ad eam venirem, neq; manibus vti ad tollendū quid, neq; pedibus ad ingressum posset, sed vel decumbere, vel in sede perpetuò desidere cogeretur. Indeq; factum ipsa putabat, quòd facies, manus, ac pedes laxo tumore sibi inflata viderentur.

Erant enim hæ corporis partes tumidæ & inflatæ, atque ægrotantis temperamentum calidum & humidum.

Cum quibus coniuncta, ex mesaraicarum venarum obstructione, lenta febris erat, quæ sub noctem grauius, & cum multis ventris torminibus, & omnium corporis partium doloribus, eam excruciabat, os & fauces leuiter exiccans.

Vrinæ quoq; turbidæ & albicantes cum obscura rubedine erant, cuiusmodi in lentis & pituitosis febribus se offerre solent. Quibus & pulsus subscribebat paruus, creber & inæqualis. Ex quibus de lenta febre admonitus fui, vt à facili tumoris commigratione, & inusitata membrorum omnium debilitate, de scorbuto morbo.

Quapropter mixtam curationem instituì febri & sceletyrbi conuenientem. Qua effectum DEI bonitate fuit, vt rursum omnia domi munia faceret, &

ex meo

ex meo consilio currum mecum conscendens, à planis illis locis, ad arenosa & campestria transiret.

Erat eo in loco vbi hæc ægrotabat, pluribus tum communis scorbutus, à quo passim ibi rustici ægrotabant, inprimis prædiues quidam manibus pedibusq; impotens, qui animi deliquio statim corripiebatur, quotiescunq; de lecto se erigere conabatur. Item prætoris olim minister cum vxore & priuigno, nec non alia quædam obesa quinquagenaria, præter alia Symptomata, etiam vehementi totius corporis tremore subinde, & per interualla infestata.

Hac tumoris ac inflammationis specie, facilè de parte ad partem commigrante, complures apud nos tàm viri, quàm fœminæ corripiuntur, certa huius morbi (sicut pluribus nostris obseruationibus constat) significatione.

Quam languor, & inusitata membrorum omnium impotentia confirmabant, ne quid de laxo faciei & manuum tumore dicam, & sub noctem infestantibus corporis membra doloribus, quos etiam huius morbi, propter vaporum acrimoniam, vel frigidam eorum qualitatem, indicium habere, supra in morbi enarratione dixi.

Siquidem hisce etiam doloribus cum Gallico morbo colludit, cui æquè atq; scorbuto proprium ius, nocturnos dolores cruciatusq;, specifica sua corruptionis qualitate, exercere, quæ num frigida vel calida sit, nondum hodie satis inter medicinæ Doctores decisum est. Cæterùm quia illa huius loci disputatio non est,

non est, eam hîc resecabimus, & ad alia loca & tempora reseruabimus, vel alijs enucleãdam relinquemus.

Obseruatio XLIX.

QVædam honesto loco nata matrona, vidua proba & modesta, quotannis sæpius pedum inflammatione, seu ea, de qua in morbi enarratione dixi, efflorescentia correpta, aliquando plurium dierum horripilationes, animiq; leues quasi defectiones patitur, absq; vlla vel siti, vel febre, aut molesto caloris sensu, vtpote quæ in his horripilationibus à frigidis offenditur, & calidis inuatur.

Vrinæ sub hoc tempus esse variæ solent, aliquando tenues & citrinæ, aliquando albæ & crassæ, & nonnunquam rubro quodam sedimento, furfuraceo & rotundo subsidentes, quod quidam eius olim medicus calculi recrementum esse perperam putauit, cùm manifestè inter se differant hæc sanguinis recrementa ab arenosis corporibus, si Matthæo de gradibus, celebri olim medico, credimus.

Qui suo de morborum curationibus libro doctissimo, vtriusq; differentiam ponit. Quam in eo sitam esse dicit, quòd hæc de quibus loquimur sanguinis recrementa, mollia sint & digitis cedentia, sicuti calculi dura & renitentia.

Pulsus autem huic matronæ tum paruus esse solet & inæqualis, per omnia simili illi qui in febrium accessionibus sentitur. Ipsa interea ægra languet, ante mali huius eruptionem varijs anxietatibus infestata, & postre-

& postremis hisce vicibus, sæpius ad lipothymiam prona.

Hæc de meo consilio victus ratione vtitur conuenienti, & ad huius morbi generationem minus accommodata. Præterea viuit pro ratione ætatis hilaris & læta, quòd omnia satis nunc ei ex voto, DEI beneficio, succedant, estq; dives & potens, vnicum filium habens in literis educatum, & honestè institutum, à quo honestè quoq; habetur, quiq; in omnibus vitæ actionibus honestè etiam se gerit, atq; ex variarum vrbium & regionum inspectione, & principum ac nobilium virorum consuetudine ac conuersatione, ad bene & honestè vitam instituendam plurimùm profecit, & cæteris naturæ dotibus morum elegantiam adiecit. Vt hac parte etiam vunc beata sit, & facilè omnes tristitiæ causas, quas huic malo olim occasionem dedisse, ex ipsa intellexi, amputare ac præcidere possit.

Hac ipsa efflorescentia alius Embdæ ciuis & mercator laborat, item nauta, & infiniti alij. Siquidem commune multis apud nos hoc vitium est, quo etiam olim matrem meam grauiter diuexatã fuisse memini.

Est autem curatio huius, & integra causæ morbi præcisio, ab his medicamentis petenda, quæ scorbutum curant, & hanc sanguinis corruptionem sua proprietate tollunt & euincunt, sicut nostra multiplici experientia probatum est, & approbaturi ij sunt, qui in his & similibus curationem hanc post nos explorare volent.

In quæ

In qua illud obseruari debet, & in alijs huius morbi speciebus omnibus, vt in longiore huius morbi mora fortiora & magis incidentia atq; attenuantia medicamenta sint, quàm in recenti & nuper nato morbo.

Obseruatio L.

QVæ decimum ætatis suæ annum ingressa puella fuerat, aliquandiu præter rationem tristis vixit, solitudinis cupida & amans, vt semper seorsum secederet, & à consuetudine hominum se ad solitudinem conferret.

Quibus studijs dum parentum ignorantia diutius indulget, tandem in leuem membrorum omnium impotentiam & resolutionem, ac mirificam eorundem iactationem incidit, horrendo & tristi parentum & adstantium omnium aspectu.

Primis hebdomadis commendata curatio hæc viro doctissimo fuit, & in veteri medicina peritissimo, cuius methodica curatione cùm nihil proficeretur, vocatus et tandem curationis collega sum.

Qui ad primum conspectum symptomatum raritatem admiratus, tandem ex resolutione ac conuulsione mixtam affectionem esse obseruaui, ex duobus scilicet contrarijs motibus compositam.

Itaq; vt causam huius rei cognoscerem, postquam de vitæ victusq; genere edoctus à parentibus essem, ad pulsum & vrinam animum intendi, & diligenter obseruaui, num talia hæc essent, quæ huic morbo consentirent.

Cùm

Cùm itaq; pluribus vicibus pulsum experirer, deprehendi eum aliquando paruum, aliquando magnum, quandoq; durum, & rursum paulò post mollem, semper verò in vno ac pluribus pulsibus inæqualem esse.

Quo cum variæ etiam occurrebant vrinarum permutationes, vtpote quæ subinde crassæ, subinde turbidæ, modò tenues & spiceæ, modò subfuscæ, & rursum deinde albæ, crassæ & turbidæ viderentur, crassa & viscida sua superficie matulæ lateribus adhærentes.

Cuiusmodi diuersorum morborum significationem habere, & non eiusdem curationis indicationem, supra ex Galeno ostendimus.

Præterea non infidum quoq; scorbuti argumentum continere, si tales citra manifestam veteris morbi significationem sint & occurrant.

Quem etiam in hac certa sceletyrbis nota, crurum suræ dolor prodidit.

Nam cùm aliquando meo iussu in pedes eam mater erigeret, magna celeritate alternatim crura ad se attraxit, vt ne momentum quidem temporis ea terræ affigeret, de cuius causa interrogata, respondit multo conatu & labore, à suræ crurum dolore id sibi euenire. Vnde nos certum huius morbi indicium habuimus.

Cuius curationem tum voluntariè distulimus, quòd non satis mihi de morbo cum collega conueniret, qui post dies quatuordecim in Holsatiam negotiorum

orum suorum causa profectus, curationem nobis commisit, quæ perfecta nobis, DEI beneficio, in tot diebus fuit, etsi ne tum quidem ab hoc morbo hæc symptomata profecta fuisse, satis collegæ meo persuaderem.

Erant huius puellæ parentes omnium testimonio probi & honesti, sed meliore fortuna deiecti, quemadmodum nonnunquam aduenire bonis solet, quibus minus propitia fortuna esse consueuit, quò magis ab hac vita ad æternam & immortalem suspirent & adnitantur.

Vnde consequi porrò solet, vt circa victum tales minus diligentes ac curiosi, ex vno incommodo & malo in aliud incidant, communi dicto fidem facientes, quod vnam calamitatem solam diu subsistere negat.

Hac ipsa membrorum omnium iactatione ac concussione, cuiusdam Embdani chirurgi infans laborauit, tristi etiam omnium aspectu. Præter hos neminem hac tristi affectione infestatum vidi. Tam varij sunt affectus, quos hic morbus edit, vt minimas omnium differentias numero comprehendere, non magis ferè possibile sit, quàm arenam maris numerare.

Obseruatio LI.

TErtianæ febris typo plures ab hoc morbo hisce præteritis annis laborarunt, quàm vt numero comprehendi ij possint. Quamobrem ex his eos tantùm hic describemus, quos cum hac febre rara quadam & tertianæ febri minus vsitata symptomata apprehen-

apprehenderunt, tàm tertianæ veræ, quàm nothæ & spuriæ incognita.

Galenus libro de crisibus, & febrium differentijs, & alibi, tertianas febres tutißimas dixit. Quem si in nostris quibusdam tertianis secuti nos fuerimus, plurimùm certè à scopo & prædictionis veritate aberrabimus. Etsi veriùs censeri illæ posßint speciem veteris tertianæ mentiri & falsò repræsentare, quàm veterum tertianam exprimere.

A qua præter alia signa manifestâ distinctione eas quoq; separant & discernunt, præter pulsum & vrinam, febris mores & natura. Sicuti manifestum huius rei documentum nuper habuimus in nauta, Doctoris coniuge, Anglo, alijsq; quàm pluribus. In quibus ne quid de vrinis dicam, & varia earum permutatione, pulsus etiam in ipso febris vigore ita paruus & inæqualis digitis occurrebat, atq; sentiri in febrium accessionibus solet. Quamuis intus vrerentur, & variè corpus propter æstuantem intus æstum iactarent, & vrinam eorum quidam crassam, turbidam, & subluuidam, ac nonnulli eorum planè subnigram redderent.

Quæ etiam varia in nonnullis apparuit, & non eiusdem coloris, aut substantiæ semper, pro morbi, quod puto, aut naturæ victoria.

Quibus maiore huius morbi certitudine accedebat crurum lancinatio, & cum multa tensione dolor, qui Doctoris coniugi ac nautæ, mirum in modum infestus fuit & acerbus, vt huius ratione, febrem hi contem-

nerent, vtpote cuius magnitudine, febris cruciatus & moleſtiæ obſcurarentur, ſicut fieri ſub concurrentibus duobus malis, doloris magnitudine imparibus ſolet.

Nauta præter iam dictos dolores & lancinationes, anxietates etiam ſub præcordijs infeſtantes, & per interualla recurrentes, expertus moleſtas eſt, cui etſi ſitis moleſtior propter oris labiorumq; ſiccitatem adeſſet, modica tamen humidi aſſumptione, illa placata ſedataq; fuit.

Qui tempeſtiuè medicum conſuluerunt, & debitè curati ſunt, plurimi eorum ſupra ſex aut ſeptem paroxyſmos non ſenſerunt, quidam eorum quarto & quinto paroxyſmo, alij tertio curati ſunt.

Quo etiam Doctoris coniunx curata fuit, etſi diu antè cum hoc morbo conflictata fuiſſet, priuſquam in manifeſtum morbum ille erumperet.

Eodem curationis modo, & Generoſi Domini Comitis Edſardi filia à me curata, D E I beneficio, in octo diebus fuit, cum ſumma præcordiorum anxietate, etiam grauiſſimis hiſce crurum lancinationibus, ſingulis paroxyſmis infeſtata. Et Anglus ille, qui dum adhuc obambularet, & omnia domi ac foris munia obiret, aliquandiu ante febrem vrinas reddidit rubicundas, craſſas & ſubfuſcas, quarum emendationem dum negligeret, tandem quoq; in febrem tertianam, tertio quóq; die recurrentem, incidit, ijſdem quoq; medicamentis propemodum reſtitutus, quibus priores.

Nonnulli

Nonnulli horum, quos pedum lancinatio non vexauit, grauissimos dolores dorsi experti sunt, qui etiam huius morbi indicio, non rarò cum his intermittētibus, & continuis febribus accidere & adesse solent.

Ita vt quos absq; grauioribus symptomatibus corripi ab hac febre viderim, à communi tertiana, & veteribus cognita tertiana, eum distinxerint cùm dolor & lancinatio iam dicta, tùm grauis angustia & respirationis difficultas, ad ventriculi regionem sub diaphragmate infestans atq; diuexans.

Quæ hîc prælibare in genere volui, quòd cum his crurum lancinationibus, frequentes nobis hæ febres anno octuagesimo occurrerunt, & postea quoq; non rarò, nisi quòd ab eo tempore æquè communes eas fuisse non meminerim.

Quod sic affectis aduenire à vaporibus malignis ac venenatis videtur, qui ab hac putrefactione resoluuntur, & in intermedia musculorum spacia sese insinuant sua vel qualitate & virulentia, vel continui solutione, hunc dolorem causantes.

Nunc exempli loco Doctoris coniugis historiam breuiter hic pertractabimus, ne recessisse à libri scopo videamur, & ea intentione, quam in libri fronte promittimus, cuius historiam eò breuius enarrabimus, quòd quæ in hac, huius morbi ratione obseruanda sunt, maxima ex parte nunc annotata & monstrata sint.

Incepit autem hæc primùm grauissimo rigore febricitare, febre tertio quóq; die recurrente, cum

multa anguſtia, & grauiſſimis crurum amborum lancinationibus, quæ in ſecundo paroxyſmo adauctæ magisq; intenſæ fuerunt, vt præ dolore exclamaret, & quò ſe verteret, neſciret, atq; mille febres ſe pati malle diceret, quàm iſtos cruciatus intolerabiles.

Pulſus etiam in ipſo febris vigore paruus & inæqualis erat, ſimilis illi, qui in primis febrium acceſſionibus ſentitur.

Vrina verò craſſa, alba & turbida, & inſuper quibuſdam ſedimentis in matulæ fundum ſubſidens, ſuperiore ſua ſubſtantia craſſa ac viſcida matulæ lateribus adhærens.

Ego ex pulſu & vrina non ſimplicem hanc tertianam eſſe, neq; notham, ſolùm cognoui. Cuius iudicium lancinationes validè confirmabant, & anguſtia, ad præcordia infeſtans, ac ſpiritum difficilem reddens.

Itaq; ijs, quæ aperiunt, febremq; extinguunt, ea miſcui, quæ in ſceletyrbe vſus probauit, à quibus tertio vel quarto paroxyſmo, hæc à ſua febre liberata DEI gratia fuit, cuius nomine ſit DEVS benedictus, & in æternum laudatus. Alij cum his febribus vrinas rubras & ſubfuſcas reddiderunt, alioqui reliquis ſignis parùm vel nihil diſcrepabant.

Atq; hæc dicta de lancinationibus, & varijs muſculorum doloribus ſint, quos hæc febris excitare conſueuit. Nunc ſequentibus obſeruationibus rara quædam ſymptomata pertexam, quæ cum his tertianis inciderunt, ex quibus manifeſtò cognoſci poſſit, plurimùm

rimùm à veterum tertianis has discrepare, si cui fortè ab hisce lancinationibus id persuaderi non possit.

Obseruatio LII.

AB hoc ipso morbo scorbuto, vel specifica huius putrefactione, tertiana febre seu tertio quóq; die recurrente febre, ægrotare Embdæ adolescens cœpit, annos natus viginti plus minus quinq;. Hic in initio vrinas rubras, subfuscas & subliuidas reddidit, similes illis, quæ reddi in quartana febre solent, nullis alioqui symptomatibus infestatus. Quarto paroxysmo leuiter delirabat. Quinto profundo somno, caro scilicet correptus, absq; omni sensu ac motu iacuit, vt ne digitum haberet quem dimoueret, & sola respiratione à mortuo differret.

A quo nullis nostris vellicationibus clamoribusq; excitari, atq; reuocari ad se potuit. Etsi quandoq; post nostras vellicationes, punctionesq; leuiter oculorum palpebras attolleret, statim tamen rursum illæ conniuebant, ac concidebant. Idq; malum cum singulis febrium accessionibus recurrebat, ijsq; desinentibus sponte soluebatur, etsi obtusiores tum quoq; sensus viderentur, neq; planè integri, sed quodam quasi stupore præoccupati.

Pulsus celer, paruus & inæqualis erat, & varij ac diuersi coloris vrinæ, vt plurimùm verò substantiâ crassæ & subfuscæ.

Symptomatis huius magnitudine ac nouitate in initio perculsus, diu mecum dubitare cœpi, & dili-

genter cogitare, ad quam causam ac morbum potissimùm hoc symptoma, & febrem hanc referrem, quòd tertianæ neq; veræ neq; nothæ accidentia hæc esse, sed potius præter eius naturam hæc apparere, ex veterum placitis ac scriptis liquidò constaret. Quandoquidem bilis, cuius comes veterum tertiana esse solet, magis de sua natura ἀχρωτίαν excitare nata est, & vigilantiam, quàm carum & cataphoram. Atq; huic meæ coniecturæ, præter pulsum, vrina subfiribebat crassa & subfusca, vt eung; tertianæ typo febris luderet, quod magis ad fallendum medicinæ artifices fiebat, quàm vt eius naturam repræsentaret exprimeretq;.

Itaq; diutius hæc examinanti, ac diligentius febris naturam & mores consideranti, animaduersum mihi ex pulsu & vrina fuit, manifestè super melancholici humoris putrefactione attestante, huius quoq; farinæ hanc febrem censeri debere. Cuius putridi vapores, cùm virulenta, tùm frigida huius morbi qualitate affecti, & sursum ad cerebrum & caput delati, torporem hunc, vt torpedo piscis, neruis afferrent, vnde solutis omnibus sub capite, & ipsius quoq; capitis neruis, omnibus corporis membris motus ac sensus interciperetur auferreturq;.

Quemadmodum etiam ab hoc morbo Concionatoris filio aduenit, & cuidam Senatori Stadensi, atq; duobus in agro matrimonio copulatis. Item Concionatori quinquagenario & duobus ex Flandria, alijsq; quàm plurimis. Qui idem ab hoc morbo passi sunt,

ob vapo-

ob vaporum ac spirituum frigidorum copiam, quæ hæc putrefactio abundat, quemadmodum ex prædictis lancinationibus & varijs doloribus, ab hoc morbo excitatis, facilè cognosci ac diiudicari potest.

Itaq; ab his de morbo & morbi causa, vt dixi, instructus, exquisitissimis, quæ huic morbo conuenire potissimùm putaui, medicamentis, curationem hanc aggressus sum, quam diuina gratia fauente eò perduxi, vt à febre & hoc malo liber æger, pristinæ sanitati & integris rursum sensibus ijs restitueretur. Quæ autem huic caro potissimùm conducant, supra in morbi enarratione ostendi, vt nihil molesta eorum repetitione hîc sit opus. Voluimus autem prolixius hæc hoc loco recensere, vt cognoscamus, quàm fallaci morborum specie hic morbus ludat.

Quod ideo permittere DEVS videtur, vt hoc modo iram suam aduersus peccata ostendat, dum nouis & inusitatis morbis & ægritudinibus, nunquam prius cognitis ac visis, mortale genus in ira sua visitat & castigat. Vt etiam vulgus nostras morborum nouitate admonitum, intelligat differentes huius temporis febres ac morbos esse, ab ijs, qui ante aliquot annos homines afflixerunt. Agamus igitur DEO gratias, quòd pro sua infinita misericordia ac clementia tam benignè eos nobis reuelare dignatus sit. Cui pro hoc eius beneficio, atq; omnibus erga nos meritis sit laus & gloria in secula seculorum Amen.

Obseruatio LIII.

Similis tertiana ab hoc morbo correptus Embdæ Anglus est, cui nomen Ritzhardo Best, etiam cum vrinis rubris & crassis, in quibus in matulæ fundum multa subsidebāt sedimenta crassa & subrubra, à quibus tota & superior vrinæ substātia nihilo clarior apparuit, sed æquè turbida perstare visa est. In quibus quandoq; variè etiam mutatus substātiæ color est.

Huic idem quoq; euenit quod priori, alio tamen & diuerso symptomate, vt à vaporibus ab hac putrefactione ascendentibus, & cerebrum penetrantibus, varijs & frequentibus conuulsiuis motibus, singulis recurrentibus paroxysmis corriperetur, adeò grauibus, vt in lecto à pluribus adolescentibus eum detineri fuerit necesse. Quod etiam à specifica huius putrefactionis qualitate, neruos pungente ei aduenisse, dubium esse non debet: quam secum vapores ab hac putrefactione eleuati deferunt & attollunt, variè homines, pro varia corporum dispositione, & differente humorum, à quibus eleuantur, qualitate & natura, afficientes: ac certum de sese indicium ac signum præbentes, non à simplici tertiana, aut communi humorum putrefactione malum illud excitari, sed peculiari & specifica ac maligna & venenata qualitate prædita, quæ de sua natura neruis aduersa & infesta, hunc neruis vaporem emittat & ableget, eiusdem, cum sua origine, efficaciæ ac facultatis.

Nam si ante tot secula aquarum deprauatarum vsu difficilia & neruis infesta mala Cæsaris militibus ex tan-

ex tantillo tempore, quo circa Rhenum sunt commorati, aduenisse Plinio & post ipsum alijs creditum, quid dubitamus nobis eadem, atq; alia his maiora, ex continuo earum vsu, ac aëris aptitudine euenire posse & debere? Itaq; ab ijs collectionem faciens, cùm similium eadem sit ratio, porrò ad pulsum & vrinam cogitationes direxi, sintne eadem illa hîc, quemadmodum huic morbo ea familiaria esse, iam antea cognouerã: quæ in dijudicando ac discernendo hoc morbo plurimùm momenti habere, antea sæpe admonui.

Ab his igitur cùm confirmari mihi de hoc morbo iudicium viderem, certus ad curationem accessi, quæ certissimo experimento rationis inuentum confirmauit ac comprobauit. Siquidem ab hausto semel atq; iterum medicamento huic morbo accommodato, statim mitigari sibi hos paroxysmos, & post triduum integrè curari sensit, magno artis medicæ encomio, & præsenti ægrotantis, quod plus est, salute.

Obseruatio LIIII.

AB hac ipsa tertiana febre tertio quóq; die recurrente, diutius laborauerat vnicus Concionatoris Embdani filiolus, liberali facie & forma puer, antequam grauioribus symptomatibus corriperetur. Cuius causa febrem eiusq; curationem tum parentes negligebant.

Accidit autem quodam paroxysmi die, cùm fortè in vicinia essem, vt subitò & deimprouiso puer hic, cùm nihil minus parentes cogitarent, pluribus moti-

bus conuulsiuis, magna omnium consternatione & acclamatione corriperetur: Et ab ijs somno alto & profundo, ex quo nullis nostris clamoribus excitari potuit.

Fuerant & huius quoq; vrinæ, quas durante febre, & ante has conuulsiones reddiderat, tàm colore quàm substantia variæ, aliquando citrinæ, tenues & spiceæ, aliquando crassæ, rubræ & subfuscæ, multis crassis & subrubris sedimentis in matulæ fundum subsidentes, & nonnunquam glaucæ, & coloris omnino aquei, quales etiam tum erant, cùm ad inuisendum eum à parentibus inuitarer.

Ex quibus non simplicem hanc febrem esse, sed alteri morbo implicitam, etsi diu antè perspexissem, nolui tamen temerè curationem sponte vrgere, etsi cum patre propter communes literas, & publicam eius functionem, alioquin familiariter viuerem, quòd in ea vrbe plærisq; ferè persuasum sit, puerorum morbos medicinæ præceptis non subiacere. Quò tamen hunc puerum tandem deuenire necessitas ac symptomatum magnitudo coegit.

Itaq; à patre viro docto, probo & humano requisitus, si quid auxilij huic morbo natum esse cognouissem, id ei communicarem, & filiolo suo vnico conferrem, ijs quæ febrem mitigant (nam prius febris conditio & status mihi perspectus erat) & venas modicè aperiunt, ex scorbuticis medicamentis potissimùm nasturtij succum admiscui.

Quòd hunc succum vt ad scorbutum, sic ad somnum

num facere, contra Fernelium Ambianum, summæ authoritatis medicum, non minoris existimationis & eruditionis vir, Guilielmus Rondeletius defendat. Cuius sententiæ in hoc casu nos accedere studium veritatis cogit. Fuit autem refracto vi pueri ore, hoc medicamentum ei iniectum. A quo statim, vt ad actum deductum medicamentum per naturam fuit, ad se puer rediit, qui prius nullis nostris clamoribus à somno excitari ac expergefieri potuit.

Obseruatio LV.

HAc ipsa febre tertio die recurrente, & ab hoc morbo, vel specifica huius morbi putrefactione excitata, correptus anno octuagesimo quinto quidam generis nobilitate clarus fuit. Qui à sanguinis missione, qui planè impurus cum manifestis huius morbi indicijs fuit, & post ter quaterúe hausturn tùm febri tùm stomacaci accommodatum medicamentum, curatus ab hac febre, post secundum vel tertium (si rectè memini) paroxysmum est. Etsi vrinæ quoq; quas in initio febris æger hic reddidit, rubræ, crassæ & subfuscæ apparerent, atq; grauissimi morbi indicia continerent, nisi te mpestiua impuri sanguinis missione, & conuenienti medicaminum vsu & exhibitione, morbo eiusq; causæ (DEI gratia) obuiam iussemus.

Delectatur enim cibis hic melancholicis, & crassis, quia & ante meum ad eas regiones aduentum, tàm cereuisijs, quàm cibis decoquendis vsus ille patrijs aquis crudis & sublimibus fuerat. Solet quoq; hic æger cum his vrinis plerunque annuum suum

morbum

morbum pati, qui etiam hac curatione tum remoratus, & pro ista instantia impeditus fuit. Quem porrò DEVS omnipotens ab omni malo protegat & defendat, & diu incolumem Reipublicæ ac suis conseruet, ad diuini nominis gloriam, & Ecclesiæ Christi salutem & incolumitatem Amen.

Obseruatio LVI.

QVartana febre, vel ad quartanæ febris typum dierum accessione alludente quartana, & cum hoc ipso morbo communicante, atq; ab hoc dependente; diutius bibliopola Embdanus laborauerat, priusquam in nostri noticiam veniret, atq; de hoc morbo nobiscum communicaret. Quæ etsi quarto quoq; die suas accessiones haberet, & hoc ipso quartanæ febris typum repræsentaret: nullis tamen præterea signis & symptomatibus, veterum quartanæ respondit. Nam neq; horrorem, neq; calorem quartanis similem ostendit, & toto quoq; genere ab ea pulsus, qui hîc nobis occurrit, discrepabat, vtpote qui etiam in ipso febris vigore, & eiusdem incremento ac statu, natiuam suam paruitatem inæqualitatemq; retinebat, & exercitatis, prima manus ad pulsum applicatione, facilè vtriusq; differentiam, & fictam atq; fallacem febris quartanæ speciem ac formam prodebat: eandem quoq; quam in febris vigore & incremento paruitatem inæqualitatemq; ostendebat, in febris remissione & intermedia quiete, non fallaci huius morbi inducto retinens & conseruans.

Cui maiore certitudine vrinæ quoq; variæ subscribebant,

scribebant, quas diuersorum morborum concursum significare, & non vnius neq; simplicis morbi notam habere, supra ex Galeno ostendimus. Vt ex his toto genere hanc febrem à veterum quartana discrepare, facilè perspicerent, qui exercitatum in dignoscendis morbis ingenium habent, atq; singulorum morborum pathognomonica signa memoriâ tenent. In quibus prius exerceri illum necesse est, qui cum fructu hæc nostra legere, atq; in vsum rectè transferre hæc & accommodare volet. Nam qui noua à veteribus distinguere cupit, necesse est vetera omnia prius perspecta habeat, vt quibus ab his illa discrepent, quibus consentiant, cognoscat; alioqui rationi consentaneum est, neq; vnum neq; alterum eum cogniturum esse.

Sed vt ad historiam reuertamur. Vtcunq; hic diuturniore hac febre prius diutius debilitatus fuerat, tamen media ferè hyeme in tribus vel quatuor plus minus hebdomadis, nostra opera ab hac febre liberatus DEI beneficio fuit, etsi plurium dierum languor fuit, vtpote quem non ita facilè ex longiore morbo euincere ac superare natura potuit, nunc tamen pancratice valet, à morbo integrè confirmatus.

Eodem tempore quo hic, media etiam hyeme, ab hac ipsa febre quartana, agrotabat Domina Margareta, Illustris ac Generosi Comitis Edtzardi natu maxima filia, cui cum multa anxietate, & respirationis ad præcordia difficultate singulis paroxysmis recurrente, hæc febris coniuncta erat, ita vt molestior S. G. respirationis difficultas, quàm febris aut calor

esset.

esset. Hæc etiam media hyeme sub natiuitatis festum nostra, Iam DEO, opera, in decem plus minus diebus valetudini restituta fuit, nisi quòd aliquando pòst leuis eiusdem febris significatio permaneret, quæ etiam secundo nostro ad aulam aduentu, in paucis diebus integrè sublata fuit & curata, cessante cum hac febre & respirationis difficultate: vtpote quæ huius comes apodictícum huius morbi sceleryrbis signum continebat. Hæc nunc valet, Domina modesta, pia, & benigna, sacrarum literarum lectioni addictissima.

Simili febre cum simili pulsu & vrinis crassis & albis, puer iste laborauit, cuius in vniuersali morbi enarratione mentionem fecimus, vt propterea rectè dictum à Galeno sit, febres non dierum accessione, sed signorum proprietate diiudicandas esse. Nam si ex accessione has febres diiudicassemus, neq; de curatione æquè certi esse, neq; prædictione vera præsagire potuissemus, sed circa vtrunq; aberrare necesse fuisset. Quatenus ex morbi noticia vtriusq; certitudo, tàm curationis, quàm præscientiæ & prænotionis oritur.

Atq; hinc fit, quòd ex morbi huius ignorantia, quædam febres apud nos adeò sint diuturnæ, vt nullis medicorum medicamentis expugnari queant, & sæpe ad annum vnum, duos aut plures perseuerẽt, nec nisi cum temporis mutatione in robustis desinant, vel in alium & deteriorẽ morbum aliquãdo commutentur, ijsq; non rarò debiliores succumbãt, sicut aliquibus exemplis, si necesse esset, hîc demõstrare possemus.

Huius

Huius generis quoq; febres sunt, quæ sub vernum tempus incipientes, primùm tertio quóq; die tertianæ febris typo occurrunt, & post septimum paroxysmum, nisi cum ipso desinant, quotidie infestant, & ad festum Diui Iacobi vel circiter ferè extenduntur & perseuerant, nisi legitimè, & his simul ad scorbutum facientibus medicamentis curentur. Aut etiam si hanc temporis mutationem superauerint, ferè annales sunt, & ad proximum ver transeunt.

Cognoscuntur autem cum hoc morbo communicare, aut ab hac putrefactione accendi, cùm ex pulsu paruo & inæquali, tùm etiam ab vrina crassa & subsidentijs iam dictis conspicua, vel eadem varia: Siquidem in his sic affectis nisi crassa, rubra, & subfusca vrina fuerit, aliquando & citrina occurrit, aliquando crassa, subinde aquea, mox rursum turbida & rubra. Vnde non vnius neq; simplicis, sed plurium & complicatorum morborum præsagium sumi, antea ex Galeno ostendi. Has febres etiam his medicamentis profligari & tolli, nostro qualicunq; experimento non semel comprobatum est, & hoc ipso tempore dum hæc scriberemus, in quodam nobili Gandauensi: qui supra mensem ab hoc morbo cum graui tussi, & multa pituitosa ac crassa expuitione, grauiter diuexatus fuerat.

Hic nunc, laus DEO, viuit & valet, horum medicaminum præsidio pristinæ sanitati, DEI beneficio restitutus: ob pietatis studium & propensum eius in pauperes affectum, longiore imò Nestorea vita dignus. Hæc

nus. Hæc breuiter hîc, & ad hanc historiam attexere volui, quòd sciam maximo artis nostræ contemtu, nullam hactenus hisce febribus medicinam inuentam esse, atq; frustra elapsis retrò annis, & nullo ægrotantium commodo ac bono, curationem harum febrium attentatam fuisse, vt propterea non immeritò vilescere apud nos & in hisce regionibus medicina cœperit, postquam eius auxilio & ope nullam arceri depelliq; posse febrem, vulgus nostras animaduertit.

Quæ in hunc finem ab hominibus & maioribus nostris inuenta, atq; à DEO optimo maximo monstrata fuit, vt sanitatem integram conseruaret, profligatam verò restauraret, morbos pellendo, eorumq; causas & occasionem præcidendo, vbi tempus & naturæ vires id permitterent, aut ratio & causa nulla physica id impediret. Cuiusmodi nihil hîc interuenire, & tamen omnem curationem methodicam has febres respuere, cùm animaduerterem, magna artis & laborantiũ seu morbos curantium medicorum ignominia atq; pudore, non potui non mecum statuere ex causa morbi, eiusdemq; ignorantia, necessariò id prouenire debere, scilicet quòd in morbo, eiusue causa, ac per consequens eiusdem curatione aberrare medicinæ artifices contingeret.

Itaq; diligentius omnia excutere cœpi, & multo studio ac labore omnia morborum signa examinare, & ad pulsum & vrinam attendere, si fortè sic errorem deprehendere, & ab his in morbi noticiam & per consequens rectam eiusdem curationem descendere ac

dere ac penetrare possem. In qua quantum profecerim, aliorum iudicio permitto, qui post nos ex hac nostra imitatione periculum harum curationum sunt facturi.

Hoc sine arrogantia dicere possum, me certam harum febrium curationem promittere omnibus audere, qui nostris præceptis ac monitis obtemperare, & in assumendis hisce medicamentis consilium nostrum sequi non detrectant. Siquidem (absit arrogantia dicto) non minus certò harum febrium curatio mihi nota est, atq; digitorum numerus. Cuius nomine soli DEO laus & gloria, qui solus medicinæ monstrator, eius scientiam hominibus aperit & ostendit, vt bonitatem suam & propensum suum erga genus humanum amorem declaret, & rursum ob hæc & alia eius innumerabilia in nos officia ac beneficia, nomen illius à nobis prædicetur ac glorificetur. Quapropter in omni curatione, in eum solum intentos oculos ac mentem habere, tàm medicum, quàm ægrotantem decet, ab eo operis sui benedictionem expectantes.

Obseruatio LVII.

PLures mendaci quotidianæ febris typo ab hoc morbo ægrotarunt, quàm vt numero hîc comprehendi queant. Quare hîc etiam vno atq; altero exemplo contenti erimus. Ex quorum pertractatione de similibus non difficile iudicium erit, ijs qui post nos attendere ad ea quæ dicuntur, & eadem nobiscum

experiri volent. Pluribus enim ad singula attendentes, à veterum quotidianis, has nostras febres discrepare, signis & symptomatibus deprehendent, quibus magis, quàm dierum accessione febres dijudicandas esse norunt haud dubiè ij, qui in Galeni placitis sunt exercitati.

Occurrit autem inter cæteros hac febre infestatos quædam illustri loco nata Domina pulchra & venusta. Quæ sub id tempus dum hæc scriberemus, & grauissima hac febre quotidie inuadente correpta fuit. Quæ in initio cum lento frigore incipiebat, quod subinde horas sex, aliquando septem & plures durabat, priusquam calor accenderetur, post quas paucis incrementis calor accendi, & ad exteriora redire cœpit. Sub vigorem morbi grauissima siti infestata fuit, vt quidlibet leniendi sitis causa biberet & appeteret. Vrinæ variæ erant, vt longo tempore nemo nobis occurrerit, qui plures & magis faciles vrinarum permutationes pateretur atq; hæc.

Nam cum aliquando ex laudabilioribus vrinis certam morbi solutionem nobis promitteremus, non ita diu pòst eiusdem spem nobis ademit, eadem quantum prius, cruda & tenuis, vel subturbida, & paucis sedimentis crassiusculis conspicua, à quibus nihilo clarior superior & supereminens supra hæc vrinæ substantia eminuit.

Quotiescunq; in lecto se erigebat, vel de lecto surgeret, ilico animo liquit, vel ad linquendum prona fuit, quod planè præter morem & consuetudinem

dinem ei aduenit. Pulsus in accessione febris (vt fieri solet) parvus erat & inæqualis, circa vigorem verò magnus & durus, extra paroxysmum paruus rursum & inæqualis, quem huic morbo familiarem esse, supra in tractatione de pulsu dixi.

Vsa semper hæc per sanitatem ab anno 20. fuerat, tàm cereuisiis, quàm cibis decoquendis, aqua patria cruda & sublimi. A quibus propter temperamenti bonitatem, qua gaudebat, pluribus annis nullum senserat incommodum. Temperamenti beneficio & innati calidi vi ac robore, ea quæ sua natura cruda et vitiosa erãt in succo bonitatem, et laudabile corporis nutrimentum conuertẽs. Nam vt præstanti forma erat, ita à primis exordijs atq; ab ipsa natiuitate temperamentum consequuta laudatißimum est. Non potuit tamen longiore & assiduo earum vsu vergente paulatim ætate, vel corporis robore ἀκμὴν prætergresso, omnem omninò pœnam euitare, quin à communi causa, communem quoque morbum, cum alijs pateretur, & ab his aquis quasdam crudas & indigestas aquositates cumularet, quæ alieno calore accensæ, propriam & huic morbo peculiarem putrefactionem subirent, deprauatarum aquarum naturam & conditionem referentem.

A quibus etiam, æstuante intus calore, vtcunq; tenues subinde & crudæ vrinæ apparerent, densæ fuligines, crassa humiditate imbutæ, resolutæ, & sursum ad os & linguam eleuatæ, adeò linguam & fauces affecerunt, vt vix multa diligentia ab his eas

partes vindicaremus. Solent quoq; in assumendis diutius medicamentis, si non statim omnia ex voto succedant, illustriore loco nati ferè difficiliores esse. Nec desunt qui ad gratiam loquentes & adblandientes, dum officiosi videri ac complacere volunt, sæpe magno principum damno & malo, recta & vtilia consilia remorantur & impediunt, facili momento isthuc ægrotos impellentes, quò sponte omnium natura inclinant.

Quod nos quoq; in hac curatione experientes, vix quatuordecim diebus perfecimus, quod in decem diebus plus minus absolui & præstari à nobis minore molestia potuisset. Sicut intra hos dies, & septimo (ni fallor) ab eadem febre, eodem ferè tempore curata prædicta ægrotantis filia fuit, annos nata plus minus duodecim. In qua non minus operosa hæc curatio fuit (etsi sæpius intra octo, ni fallor, dies ab his medicamentis certam curationem ei DEI gratia promitterem) quòd æquè in assumendis iis difficilis & tarda esset atq; mater. Quæ septimo die vt prædixeram curata fuit, vti decimo tertio die vel quarto mater, magna omnium lætitia. Quòd propter animi deliquia, quæ perpessa semel atq; iterum hæc fuerat, omnibus desperatæ valetudinis videretur, vt non satis domesticos confirmare, & hanc opinionem ipsis euellere in primis diebus potuerim.

Est enim Domina benigna & affabilis, iram facilè remittens. Et Domini fui obseruantissima, in id attenta, quomodo tristem Dominum suum reficere, ac

cere, ac blandis colloquijs, & suauissimo suo conuictu, eum recreare ac oblectare posset. Mansit autem pluribus diebus debilior, quòd à febris remissione, nullum catharticum admitteret. Quo factum, vt ex morbi & causæ morbi reliquijs non satis purgatis, subinde facili tumore & inflatione facies ei intumesceret, quæ eadem facilitate, qua corripiebat, subinde euanescebat, etiam huius morbi argumento, quod euenire sic affectis propter multos flatus solet, quibus hæc materia abundat.

A quo malo leui cathartico postea liberata est, quod ex foliys senæ & rhabarbari infusione, si rectè meminj, sibi ipsi parabat. Ea nunc viuit Domina benigna & affabilis. In qua præter febrem, scorbutum morbum demonstrabant frequentes vrinarum absq; causa mutationes, præterea facilis lipothymia, quoties se ægra moueret, nec non febris species, eiusq; accessionis modus, vltimò & facilis inflationis modus & euanescentia, quibus adnumerari præcedentis victus ratio potest, vel aquarum iam dictarum vsus. Cum ijsdem & similibus ferè vrinis, ab hac febre nuper Antuerpianus laborauit, cui præter cætera etiam molestiæ frequenter anguistiæ erant, ad præcordia sub diaphragmate infestantes. Qui ijsdem etiam ad febrem & scorbutum facientibus medicamentis, à nobis breui, DEI gratia, à grauissimo suo morbo restitutus est. Sicut altera nuper puerpera, quæ cum grauissimis ventris torminibus, eandem quoq; febrẽ experta est.

Obseruatio LVIII.

SImili febre, quotidianæ typo ludente, prædictæ & iam descriptæ ægrotantis filia, à natu maximâ tertia laborauit, Domina quoq; pulchra & venusta. Quæ post inordinatas febrium accessiones, quibus totâ hyeme, aliquando post mensem, aliquando post septimanam vnam, duas aut plures, nullo magno calore aut frigore molestis correpta fuerat, tandem sub vernum tempus, in hanc febrem quotidie recurrentem incidit, quæ singulis paroxysmis præter frigus & calorem, maximis & infestissimis tàm ventris quàm intestinorum doloribus & torminibus, eam excruciauit, cum continuo ferè vomitus conatu, & multis ad præcordia anxietatibus coniunctis.

Durauit frigus horas subinde duas, aliquãdo tres. Quando prædictæ sub præcordijs anxietates mirè eam infestabant, cum perpetuis, sed inanibus ferè vomendi conatibus. Videtur enim sic affectis hic conatus aliquid leuaminis adferre, quasi qui eo grauamen subleuare velle videantur, etsi paulò post eadem rursum necessitas recurrat, perinde atq; prius, hanc reiectionem vrgens.

Est q; hoc quoq; inter cætera apodicticum huius morbi signum, si citra grauantem ventriculum pituitam vel manifestam viscerum inflammationem, aut ventriculi exulcerationem fiat, sicut curatio demonstrat, quæ cum morbo hi quoq; conatus tolluntur & curantur. Sed & graues quoq; crurum dolores ac lanci-

lancinationes, hæc ipsa experta fuit, non minus atq; febrem ipsam molestas. Quas etiam huius morbi indicio, cum his febribus incidere suprà ostendimus.

Hanc historiam hoc loco adscribere, priorique subiungere volui, vt melius naturam huius febris lector cognosceret, atq; hinc disceret, non simplicem pituitæ, vt veterum quotidianam, sed specificam huius morbi putrefactionem, hanc nostram sequi. Idq; manifestum fieri, tàm ab ijs quæ cum hoc morbo inciderunt, signis & symptomatibus, quàm ab inordinatis accessionibus, quæ per hyemem huic ægrotæ aduenerunt, quarum soboles atq; propago meritò censeri hæc febris, quæ sub vernum tempus quotidie incidit, debet: ex eadem, qua illa, putrefactione procreata eaq; cum temporis accessione aucta & cumulata.

Quæ non quotidie tum (sicut postea aucta putrefactionis causa materiali) sed sine ordine hanc ægrotantem apprehenderunt, & aliquot quoq; vicibus, quarto quóq; die deinceps. Quandoquidem semel atq; iterum per hyemem, post quartum quémq; diem leuissimis febris typis infestata fuit, quam propter typi leuitatem tum contemsit, ne medicamenta à quibus alienior erat, assumere cogeretur. Ideoq; neglecta causa, & cum tempore adaucta, in febrem quotidie corripientem erupit, præter accessionis diem, cum veterum quotidiana nihil communicantem, si signa & symptomata, quæ cum ea inciderunt, præterea morbi naturam & mores respicias considereseq;. Quod curatio nostra quoq; monstrauit, quæ iuxta

ctionem nostram feliciter nobis, DEI gratia, in octo diebus absoluta est, rationis inuentum confirmans.

Obseruatio LIX.

MIxtæ febris, continuæ scilicet & tertianæ typo ac specie, plures quoq; ab hoc morbo laborarunt, quàm vt hîc commemorari omnes queãt. Inprimis verò Concionator Embdanus, vir pius & bonus, ac omnibus suo officio addictus. Qui cum tantis ventris & intestinorum torminibus ac lancinationibus correptus ab hac febre fuit, vt diuelli sibi ac dilacerari omnia intus exclamaret, & præ doloris vehementia, quò se verteret nesciret, variè se & in omnem ferè formam conuoluens, tristi omnium astantium aspectu & commiseratione. Vt non absre scorbuti nomen hic morbus consequutus esse videatur, & rem cum nomine verè possidere.

Hic dolor cum paroxysmo semper recurrebat, eodemq; remittente & cessante desinebat. Cum tertio paroxysmo in continuam abire febris hæc cœpit, & post sextum rursum ac septimum postea diem intermittere, & vt prius, tertio quoq; die infestare, cum ijsdem, sed paulò remissioribus ventris & intestinorum doloribus.

Post tertium paroxysmum, subinde toto fere corpore, maximè verò circa pectus & faciem, maculæ purpureæ eruperunt, perinde atq; si erysipelate pectus ac facies suffusa fuissent. Quæ eadem facilitate, qua

subinde

subinde erumpebant, rursum subitò quandoq; euanescebant. Quod sæpius & varijs ac mutatis fiebat vicibus, sed absq; vllo valetudinis incommodo, aut deterioris morbi, vel ingrauescentis, aut remittentis morbi significatione. Quod non infido huius morbi signo, aliquoties in his regionibus fieri obseruaui.

Grauis è toto corpore odor exibat, sua grauitate adstantium nares molesto odore feriens, facies varijs coloribus & maculis distincta videbatur, adeò vt sibi ipsi similis non appareret. Cum quibus coniuncta summa respirationis angustia erat, ad præcordia ex interuallo infestans. Sed & crebro vomendi conatu vexabatur, quo parùm aut nihil sæpe egerebat, sed qui inani suo conatu magis eum diuexabat, quàm quòd dignum quid eo educeret. Atq; hæc omnia pessimo indicio deliriũ augebat, quod tamen momentaneum erat, & per interualla recurrens.

Quotquot ad inuisendum eum officij & amicitiæ gratia conueniebant, peste eum laborare vno eodemq; ore affirmabant omnes, & qui timidiores erant ac sibi metuebant, cum scrupulo ad lectum eius accedebant, aut procul à lecto sibi cauebant. Et certè multa pestilentis & malæ mortis febris indicia in hoc ægroto concurrebant. Nam malignæ febris symptomata hæc omnia, quæ enumerauimus, esse, nemo medicinæ candidatus ignorat. Et nos quoq; idem iudicassemus, nisi huius suspicionem nobis eximissent, & à nobis remouissent, manifestæ febris, quæ præ-

cesserant & subsequebantur intermissiones. Quæ, si Hippocrati credimus, salutares sunt quocunq; modo fiant. Pulsus præterea paruus erat, nec non creber & inæqualis, & calor foris mitis, intus verò vrens. Vrinæ rubræ & intensissimæ rubedinis apparebant, sed crasso & graui sedimento subsidentes. A quibus vt & à reliquis symptomatibus, de specifica hac putrefactione quæ scorbuti morbi est, admonitus, curationem sequentem instituí. Primùm quòd aluus stricta esset, & biduum totum substitisset, clysteri leui eam solui, in quo pro euacuatione diacatholiconis ℥j. dissolui. Inde medico misso sanguine, potionem aperientem ei præscripsi, cui, quæ ad hunc morbum facerent, medicamenta admiscui, eiusq; potionis vncijs tribus & ſ. addidi succi cochleariæ ℥. ij & ſ. Ab ea potione quater ac quinquies sumpta, liber à maxima febris vehementia, omnium bonorum votis euasit, mitigatis sedatisq; symptomatibus, quæ cum febre eum inuaserant.

Interea verò dum hæc fierent, Epati & cordi conuenientia epithemata imposuimus. De quibus quia pleni medicorum libri sunt, nihil hîc opus longiore eorum commemoratione est. Ab his vtcunq; vis febris superata atq; deuicta fuerat, tamen quotiescunq; biduum horum medicaminum vsum intermitteremus, aut cerevisiarum ex patrijs aquis decoctarum copiam ei faceremus, statim insurgere atq; vires pristinas recolligere illa videbatur. Manebat enim ab hac curatione adhuc lenta febris, quæ vires

fati-

fatigabat, & ad pristinum robur non facilè eum redire sinebat. Quæ etiam horum medicaminum continuatione radicitus postea à nobis extirpata fuit, vt nunc laus DEO sanus viuat & robustus.

Ex hoc loco obiter admonemur, non adeò criminandum virum doctissimum, & celeberrimum nostri temporis medicum, Guilielmum Rondeletium esse, quòd suo de peste tractatu doctissimo, pestem ex melancholici humoris putrefactione generari existimauerit, cùm adeò atrocia, & à pestis symptomatibus non aliena accidentia, ab huius putrefactione commoueri perspiciamus, quibus etiam illudi ac decipi summi medicinæ artifices possunt. Sicut manifestum ab hac historia & sequenti est, quas propterea hîc describere voluimus, vt de ys, quæ in morbi enarratione nobis dicta sunt & prolixius explicata, veritas constaret.

Scimus enim, omnium medicorum consensu comprobatum esse, pessima à melancholico humore putrefacto atq; corrupto accidentia excitari, membrorum scilicet putrefactiones, carbunculos, carcinomata, & id genus alia. Quibus symptomatibus & signis adeò cum peste aliquando hic morbus colludit, vt non semel pro peste eam partē exercitati medici et empirici, magno errore, & ægrotantiū incommodo ac malo, curarint. Quo magis animaduertere, & diligenter ad singula attendere medicum decet, ne prius curationem aggrediatur, quàm omnia ei perspecta, & ad amussim morbus cognitus sit, potissimū quando in hoc casu minus

nus vniuersalis pestis est, & ad paucos domos & familias illa adstricta, aut inter pauperes magis, quàm diuites serpens.

Nostra enim qualicunq; obseruatione hactenus obseruatum est, quemadmodum citra contagium ex intrinsecis humoribus hic morbus oritur, ita etiam ex contagio eum propagari, eodem, quo Gallicus morbus, modo. Quem etiam citra contagium, & ex contagio, ortum suum apud insulares habere literis proditum est. Quare mirari non debemus plures in eadem familia hoc morbo corripi, quibus eadem cibi ac potus ratio est, vel mori, quibus idem circa medicaminum exhibitionem abusus & error contingit.

Ita Embdæ cuidam familiæ ante biennium euenit, in qua ab hoc morbo & febre ordine omnes, vnus post alium, matre excepta, cum tumoribus bubonibusq; ægrotare cœperunt, nulla medicaminum ac victus ratione salubri, vel huic morbo & febri competente, gubernati. Quo factum, vt filij omnes, vnus post alium morerentur, in vniuersum verò quinq; vel sex, postquam alius viginti, alius duodecim, alius quatuordecim plus minus dies, ab hoc morbo ægrotasset ac decubuisset. Solus pater periculum euasit, ab hac febre consueto suo, quo per singulos annos semel atq; iterum laborare solet, morbo, arthritide scilicet vel podagra hac scorbutica correptus.

Ad eundem modum ante annum quoq; alteri familiæ è regione alterius accidit. In qua prius, filius

filius natu maximus, pluribus sursum ac deorsum eruptionibus, sicut fieri in cholera morbo solet, & huic morbo vsitatum scimus, subitò & præter spem extinctus est, à quo paulò post filius natu minimus, & ab eo filia natu maxima, & non ita diu pòst filiola natu minima, vltimò famulus ægrotare cœpit.

Ego ad curationem vocatus, cùm nullam tota vrbe pestem grassari scirem, diligenter ad pulsum & vrinam, atq; omnia quæ cum hac febre inciderunt, signa & symptomata animaduertens, manifestis indicijs & certis argumentis & validis deprehendi, scieletyrbis ac stomacacis ea esse accidentia magis, quam pestis. Nam vrina filioli, vt ab hoc incipiam, varia erat, modò crassa, modò tenuis, aliquando citrina, aliquando rubra, respiratio per interualla difficilis, cum angustia sub diaphragmate coniuncta. Quod symptoma etsi illi cum peste commune est, est tamen in peste continuum magis, sicut supra in morbi enarratione annotauimus. Pulsus creber erat, sed paruus & inæqualis.

In puella seu filia manifesto indicio hunc morbum vrina indicabat crassa & conturbata, in qua multa copia, in fundum, sabulosæ substantiæ excrementa crassa & grauia subsidebant, non secus atq; si manus plena arenæ obscurioris, qualis circa littus maris inuenitur, foris ei iniecta fuisset.

Cuiusmodi etiam in falsa & mendaci pleuritide ab hoc morbo excitata, vrina filiæ Bastiani VVabens ciuis Embdani apparuit. Quam certum, indubitatum,

bitatum & apodicticum huius morbi signum habere suprà ostendimus. Est enim hæc vrina non huic solùm symptomati, sed pluribus alijs, ab hoc morbo proficiscentibus, communis: fallaci scilicet pleuritidis vt iam dixi, specioi & pluribus pedum paralysin, ab hoc morbo patientibus, nec non alijs, de quibus prolixius diximus suprà.

Præter has vrinas etiam pulsum ostendebat parvum & inæqualem, neq; crebrum, neq; celerem, sed tardum potius, etsi maximis ex interuallo angustijs infestaretur, & siti infesta. Quale etiam similiter in pleuritide falsa prædictæ filiæ accidit, vt ab hoc pulsu, prima manus nostræ ad pulsum applicatione, pleuritide eam laborare, adstanti empirico, qui bis sanguinem ei subtraxerat, negaremus.

Ab his, quæ dixi, (etsi contagio hic morbus serperet) non cum peste, sed specifica hac, quæ scorbuto debetur, putrefactione, morbum hunc & febrem communicare, certò persuasus, curationem ei competentem instituì, à qua filia natu maxima à febre & angustijs liberata, abscessum tumoremq; durum, crassum & dolorificum circa cruris summa ostendit, à quo postea chirurgorum opera, D E I gratia, restituta curataq; fuit. Nam nondum tum mihi medicamentum & pulticula, cuius supra in morbi enarratione mentionem fecimus, cognita probataq; erat.

Filius quoq; à quatridui medicaminis huius assumptione, melius habere cœpit, vt rursum cibum appeteret, & confirmari ab eo videretur; sed quia subitò

subitò, & præter nostram quoq; spem & expectationem, sicut aliquando in hoc morbo accidere solet, ante medicaminum exhibitionem ac præparationem, natu minima filia, ab hac angustia deimprouiso extincta, ac quasi suffocata fuit, magnopere fidem apud patrem amisimus, (etsi alioqui eorum, qui nostris medicamentis vsi fuissent curatio, ad votum responderet) vt propterea medicaminum intermissio fieret & filius recidiuam pateretur. Qui toties, quoties vel per biduum nostris medicamentis vteretur, statim manifestam morbi mitigationem sensit, vt hac curationis ratione sæpius repetita, atq; rursum aliorum persuasione intermissa, pertracta ferè nostra curatio ad octodecim dies fuerit, quo à patre dimissi fuimus, quod nescio cuius, inprimis chirurgi quoq; instinctu & persuasu, medicaminum vsum teneræ isti ætati inutilem, imò noxium & damnosum pater cogitaret.

Cuius voluntati necesse fuit nos acquiescere, etsi recuperandæ valetudinis spem ei faceremus, si nostra consilia sequi, & puerum ad obediendum nobis inuitare vellet. Potuisset (vt verum fatear) in paucioribus diebus & paucioribus medicamentis, curatio nobis peracta fuisse, si quantum pro ratione huius ætatis intendere medicamenta oportuisset, exquisitè tum, vt nunc laus DEO, nobis cognitum fuisset.

Quapropter admonere hîc, quemadmodum & in morbi enarratione factum à nobis scio, omnes volo, vt si cognito & perspecto morbo, non satis à mitioribus medicamentis curatio procedat, eam non obstan-

obstante febre & calore intendant, donec ad optatum finem perueniant, ita enim certissima speranda in his & similibus curatio est. Sæpe etenim me hisce præteritis annis, in hac curatione indicationes, quæ à febre & febris signis sumerentur, deceperunt, potissimùm apud Embdanos, vbi propter maris vicinitatem, vt aer crassus, frigidus & humidus est: Ita victus ratio crassa, nautica, vel excrementitia est, vtpote quæ vel marinis constat piscibus, vel recentibus sed in stagnantibus aquis vt plurimùm captis, vel carne plerunq; bubula & crassa, aut anserum, anatum, & similibus aquatilibus, à quibus crassum & frigidum, nec non excrementitium succum corpori nostro suppeditari, omnes norunt, vt nulla demonstratione hæc res opus habeat.

Accedunt aquæ crudæ, sublimes & frigidæ, quibus decoquendis suis cereuisiis ferè omnes, vel pleraq; ciuium pars vtitur. A quibus vel crassum, vel crudum & aqueum succum gigni necesse est, qui multam sui attenuationem ac calefactionem indicat, vtcunq; febrili calore accendatur. Quod paucis hîc, propter communem salutem, & multorum commodum ac vtilitatẽ, cui hoc opus destinauimus, admonere volui. Restat nunc vnum atq; alterum exemplum præterea, pro rei iam dictæ confirmatione adducamus, quò magis fidem omnibus faciamus. Quòd nulla re æquè atq; exemplis confirmemur, iuxta illud Galeni, dicentis rationis esse inuentre, at confirmationem ab experientia & rei probatione procedere.

Obserua-

Obseruatio LX.

HIsce pestis indicijs, & falsis ac mendacibus eius symptomatibus, quibus ad pestem hic morbus quandoq; alludit, correpta quoq; cum mitiore febre, cuiusdam nostratis olim Consulis Bolsuardiensis Regneri Cornelij filia fuit, eiusq; ancilla, vno eodemq; tempore, filia cum alterius cruris abscessu duro & subrubro, & nigro atq; crustoso vlcere, super tibia: Ancilla verò cum duobus in inguine tumoribus, in vnoquoq; vno, duro quoq; & renitente. Cum quibus coniuncta leuis sitis fuit, & vrina citrina, manifesta fuscedine tincta. Sitis autem leuissima humidi assumptione facilè placata fuit, etsi continuò & ipsis os ferè siccum esset. Pulsus paruus vtriq; & inæqualis erat, per omnia talis, qualem in hoc morbo eum esse solere dixi.

Ego ab hoc pulsu & vrina subfusca, morbum eiusq; causam cognoscens, parentes bono animo esse iussi, & conceptam de peste opinionem deponere. Sed quia altius illa insederat, non facilè euelli illa ex ipsorum animis, primis diebus tribus potuit, donec tandem ex nostra prædictione curationem procedere conspicerent, & nos liberè atque citra scrupulum hanc curationem tractare animaduerterent. Opinionem enim de me conceperant, circa pestem eiusq; curationem, minus me promptum paratumq; fore.

Ostendi autem tumores vtriusq;, medicamentis & cataplasmatis externis discuti ac dissolui posse. sed nigrum & crustosum illud vlcus, necessariò à reliqua

cute & carne separari debere, si puellam saluam & crus illud conseruatum vellent. Quòd à simili vlcere, aliquando totum corpus in periculum venisse, & aliquibus cruris mortificationem aduenisse, nostra obseruatione constaret. Quemadmodum id hodie vnius puellæ, Embdæ nunc degentis testimonio, docere possum, quæ à simili vlcere eò deuenit, vt alterum crus ei amputari fuerit necesse: quæ simili vlcere post aliquot annos, in altero crure correpta, nostra opera, DEI gratia, intra paucos dies non sine ægrotantis dolore, curata atq; integræ valetudini restituta fuit, quòd ex simili vlcere alterum crus se amisisse diceret, ideoq; infortunium suum & calamitatem deploraret, quòd chirurgorum imperitia isthuc deuenisset, & in istam calamitatem incidisset, ex qua medici industria liberari potuisset.

Quibus auditis obnixè me parentes rogarunt, vt nihil eorum, quæ ad valetudinem suæ filiæ pertinere putarem, missum facerem: simul etiam ancillæ, ob pestis suspicionem ac metum, in aliud & superius cubiculum traductæ, curam habere, eiusq; valetudinem mihi commendatam esse vellem. Id vbi ex officio me debere, parentibus ostendi, quibusdam ad sceletyrben præscriptis medicamentis, radicem morbi præcidendam putaui, quorum beneficio post sextum plus minus diem, corpus rectè valere, actiones naturales integræ demonstrarunt.

Interea tumoribus adhibita cataplasmata ex chamæmelo, meliloto, parietaria, malua, bisimalua & mercuriali, ad sufficientiam decoctis, fuere, quibus

pro cataplasmatis consistentia, farinæ conuenientes, & dolorem mitigantes, ex lini semine, item fœnugræci & hordei addita fuere, cum mellis rosacei & olei rosacei sufficientia, quantum ad cataplasmatis formam & consistentiam satis erat. Eoq; cataplasmate citra dolorem tumores dicussi dissolutiq; sunt, nigrum autem eo medicamento, quod suprà in morbi enarratione exposuimus, à sana carne & cute intra sex dies separatum fuit, vt propterea nihil hîc opus molesta eius repetitione sit.

Atq; hoc curationis modo, si curatus nobilis ille fuisset, cui in morbi enarratione pedem mortuum ab hoc morbo fuisse, & postea animæ emigrationem magno eius bono subsecutam fuisse ostendi, potuisset haud dubiè tutus ab ijs, quæ subsecuta sunt, malis euasisse, & iuxta naturæ ordinem ac cursum vitam suam aliquandiu adhuc protraxisse. Sed (vt verum fatear) nondum etiam mihi tum satis hæc curatio cognita erat. Et de ea dubitare celeberrimos nostri temporis medicos, Doctorem Peucerum, ac Ioannem Veierum video. Cuius causa celandam eam non putaui, quò pro temperamentorum ætatumq; diuersitate ea variata, alijs illa accommodari ab alijs possit, & sic atrocia hæc mala & incommoda præcaueri queant.

Pro cuius reuelatione, vt DEI bonitatem prædicare decet, ita præceptorem, per quem profecimus, suo honore priuare non debemus. Quem Hippocratem fuisse supra quoque ostendimus, nigra ambustis similem curationem postulare docentem. Cuius

doctrinam & admonitionem hîc sequuti, & in alio quoq; ciue Hamburgensi, simili affectione laborante, vera eum dicere deprehendimus, vt meritò diuini & magni viri nomen ille meruerit, aptum scilicet organum & accommodatum, per quod res magnas perpetua memoria dignas, DEVS optimus Maximus operaretur, & toti mundo, atq; omni ab ipso posteritati communicaret & patefaceret.

Quem toties præceptorem suum nominare Galenum non puduit, ei soli inter tam multas sectas veram medicinæ cognitionem tribuentem. Vt meritò parens & præceptor omnium medicorum haberi ille debeat & possit. Sed ad rem reuertemur, quòd maiores huius viri laudes ac dona sint, quàm vt hac nostra oratione tenui & inculta, plenè prædicari illa, ac celebrari à nobis pro dignitate possint. Nam ab annis ferè viginti, quibus à scholis absumus, styli exercitium planè nobis neglectum fuit: Qui ob continuas (vt fieri solet) ægrorum visitationes, quibus occupati fuimus, & obscurorum authorum ac medicorum lectionem, multo situ & rubigine squalet & horret, vt metuamus, ne indocta hæc nostra oratio, fastidium paritura ijs sit, qui eruditis politioribusq; legendis scriptis iam dudum assuefacti sunt.

Ad quorum manus & doctas aures, si fortè hæc nostra scripta delata fuerint, obnixè eos oratos volo, vt ob causas supra allegatas, dictionis impuritatem nobis condonent, & boni consulant, sibiq; persuadeant, non tàm orationis elegantiam hîc spectandam

ac com-

ac considerandam esse, quàm rei, quam tractamus vtilitatem atq; necessitatem. Qui hæc in publicum dedimus, non vt Grammaticam docereмus, sed curandi morbos artem.

Obseruatio LXI.

ARomatarij Groningani, qui Embdæ ad Delphæ plateam, vt vocant, habitabat, coniunx, hac ipsa correpta, anno octuagesimo sexto fuit, cum continuo vomendi conatu, & multa ac infesta anxietate, per interualla sub diaphragmate, è regione orificij ventriculi eam coarctante & impugnante. Quas reddidit vrinas, crassæ & subfuscæ fuere. Primis diebus nihil subsidebant. Tertio ab assumptis nostris medicamentis die, visæ crassæ & conturbatæ sunt, & crasso, graui ac furfuraceo sedimento subsidere. Interea toto morbi tempore pulsus paruus & inæqualis fuit, nisi quantum nostris medicamentis paulatim assurgeret, & ad pristinum robur ac magnitudinem rediret.

Post sextum vel septimum, si rectè memini, diem, cùm meliusculè ab his nostris, tùm febri, tùm scorbuto destinatis medicamentis, habere inciperet, & nonnunquam de lecto surgere, & ad focum redire atq; igni per diem nonnihil assidere conaretur, ex insperato ortus ei circa cruris summum, non procul ab inguine, tumor crassus, durus & profundus & oblongus ac magnus cum dolore & rubedine fuit, certa pestis suspicione, vtcunq; mediocriter valeret, & manife-

ſtam alleuationem ſemper ab aſſumtis medicamentis ſenſiſſet : adeò vt nulla noſtra oratione eam remouere, & ex animis ægrotantis ac domeſticorum eximere eam tum potuerim, non obſtante, quòd felicem ab aſſumptis medicamentis noſtris curationis ſucceſſum, & meliorem eius valetudinem allegarem.

Quibus etſi aliquo modo perſuaſi in dictis noſtris ſe acquieſcere oſtenderent, dubia tamen fide id factum fuit, donec tolli & auferre ea, quæ ad hos tumores nobis deſcripta in morbi enarratione, pulticula eſt, felicißimè intra horas ni fallor viginti quatuor plus minus, hunc tumorem viderent, & porrò ad neminem præterea morbum hunc ſerpere animaduerterent.

In hac fœmina morbum ſceletyrben à pulſu paruo, debili & inæquali cognoui, ijs, quæ vrina monſtrabant, febrilis caloris indicijs, minimè reſpondente, atq, ab his quæ morbi cauſam profligant, ad priſtinum robur & magnitudinem paulatim redeunte. Confirmabant iudicium ab his certum & firmum alioqui, anguſtia iam dicta, ad ventriculi regionem premens, & reſpirationem difficilem reddens : Præterea vrina rubra & ſubfuſca. Vltimò curatio ab his medicamentis procedens. Vnde etiam Hippocratem argumentatum eſſe, in aphoriſmis videmus, ſi cui fortè minus validum hoc argumentum videri poßit.

Quapropter non ſemper peſtem à tumoribus iudicare oportet, alioqui & in Gallico morbo bubones tumo-

tumoresq̃, qui cum his incidunt, huius generis haberi possunt. Quod quàm sit à vero alienum, ante nos disputatum probatumq̃ ab alijs fuit. Quare perdiscenda cuiusq̃ morbi symptomata ac signa sunt, & ex his morbi distinguendi, ne ægrotantium errore, vt hodie proh dolor nimis frequenter fit, vnum morbum pro alio curemus. Neq̃ putare debent, qui splendidis titulis, ac viuendi pompa hominum oculos obfuscant, ita satisfieri miseris ægrotis & suæ conscientiæ, nisi etiam libris quotidie assideant, & in sedulo artis vsu versentur, atq̃ diligenter, tùm vetera tùm recentiora expendant, eaq̃ inter se conferant, & quibus discrepent, quibus rursum conueniant, discernere discant.

Cum quibus etiam inuocari nomen Domini debet, vt suo spiritu nos instruat, quo purâ conscientiâ singuli in vocatione nostra ambulare queamus. Magna etenim audacia est, morbum aliquem curare, de quo tantùm leuibus coniecturis edocti sumus, & cuius natura per omnia nobis non sit cognita atq̃ perspecta. Ideoq̃ qui pura conscientia medicinam exercere cupit, omnium morborum signa in memoria habere debet, & vbiq̃ secum circumferre. Quod fit continua probatissimorum authorum lectione, & assiduo artis vsu. Nemo enim nascitur artifex, sicut prouerbium habet, estq̃ vsus artium Magister, qui citra artis cognitionem mutilus est. Sicut de hac re varijs locis egregiè Galenus tradit. Sed sunt hæc alterius loci, quare ad cætera pergemus.

Obseruatio LXII.

CONtinua & putrida ab hoc morbo etiam illa laborauit vidua, quæ multas domi virgines alebat, & ex meliori fortuna deiecta erat, alioqui honestis parentibus prognata. Huic etiam recurrentes subinde, & per interualla infestantes anxietates, mirè molestæ, cum obstructionis ventriculi ad fauces vsq; sensu erant. Pulsus huic paruus quoq;, debilis & inæqualis erat, & propter febrem continuam creber adeò, vt quandoq; vix digitis perciperetur, & subinde reptare magis, quàm pulsare videretur. Vrina nigra erat, vel ex rubro subfusca, in qua multa nigra & subrubra excrementa subsidebant. Aluum laxam habebat, quæ aliquando decies, aliquando duodecies, aliquando etiam vigesies quotidie soluebatur. Nam hoc symptoma etiam huic morbo quandoq; peculiare esse suprà diximus.

Quod his diebus præteritis in pluribus obseruauimus, duobus infantibus, quibus plurimus cum his deiectionibus sanguis descendebat, his nostris quoq; medicamentis restitutis, & vna puerpera, quæ sursum & deorsum in initio morbi eruptiones patiebatur, & ab his, solas alui profusiones, ea copia & multitudine, vt quandoq; quinquagesies intra horas viginti quatuor assellaret, nullo morbi leuamine.

Idem malum etiam experta alia vidua est, & per multos annos rusticus, & vetula alia, nostris curationibus, & ijs quæ ad hunc morbum faciunt medicamen-

dicamentis, feliciter restituti. Nam vt alijs aluus ab hoc morbo clauditur, ita alijs laxari solet. Eamq; solutionem ab hoc quoq; morbo procedere, præter cætera curatio docet, quæ citra adstrictoria specificis & à proprietate erga hunc morbum valentibus medicamentis, felicissimè procedit, sicut nos centies & amplius experti sumus. & illi quoq; experientur, qui in similibus deiectionibus, ab hoc morbo dependentibus, (quod à signis concurrentibus dijudicatur) illud probare volent. Noui, qui adstringentibus in hac curatione procedentes, nihil proficerent, vt post longam curationem tandem ægroti vel in hydropem, vel subitam suffocationem, aut atrophiam inciderent. Vt non immeritò in medicina, ab alui curatione probationem faciendam esse, celeberrimus Italiæ medicus Ioannes Baptista Montanus putauerit, in suis in secundum librum aphorismorum Hippocratis lectionibus. Sed ad historiam reuertamur.

Os huic fœminæ perpetuò ferè siccum erat, adeò, vt à lento hoc calore fissa labia & linguam, ac superius palatum exulceratum ostenderet. Tanta enim, etsi lenta febris esse videatur, fumante hoc calore symptomatum malitia quandoq; procedit, quanta vix fieri à continua & contumente veterum solet. Quod specificæ huius morbi putrefactioni, eiusq; virulentiæ tribuendum puto, omnia vicina quæ attingit, sua malitia exulcerantis, sicut hunc de hoc morbo effectum, suprà quoq; in enarratione eius ostendi, atq; ex specifica morbi gallici putrefactione, ad quam

pluribus signis alludit, manifestum nimis est. Qui eodem modo insularibus patrius est, atq; nobis sceletyrbe, & nullo alio iure hoc facere videtur, quàm quo apud nos id facit stomacace.

Vtriq; etiam peculiare hoc nostro seculo fuit, vt quàm longissimè latissimeq; sua pomœria dilatent & diffundant, atq; procul à generationis suæ locis & terminis, ad incognita & remota loca excurrant euagenturq;, atq; sub diametrali linea, qua sibi inuicem, sub polorum oppositione, opposita sunt, se mutuò quasi complectantur, & inter se virus ac venenum suum communicent. Ita fit vt hodie etiam Germaniæ, Angliæ, Galliæ hic morbus innotescat, apud quos antea ne quidem auditum eius nomẽ fuit, sicut postea vnà atq; altera obseruatione ostendemus eorum, qui in Anglia & Gallia ab hoc morbo à nobis curati fuere, in quibus plurimùm hallucinati Gallici medici fuerunt, morbum eiusq; speciem meritò ignorantes, etsi nigris maculis ac pustulis sese manifestarat, idq; propter morbi huius ijs in locis raritatem.

Sed vt rursum vnde deflexit oratio redeat: Vtcunq; ita siccum os & labia hæc haberet, parum tamen bibit. Nam longiore potu manifestè offendebatur. Opus tamen continua humectatione harum partium habuit. Melius quoq; ab ijs habuit medicamentis, quæ sceletyrben curant, à quibus quoq; aluus stetit, vt nullo, sistendæ aluo, alio medicamine fuerit opus.

Obseruatio LXIII.

Simili

Simili febre continua & putrida correptus nuper cum hoc morbo, vel specifica huius morbi putrefactione fuit Notarij Embdensis domesticus, cum pulsu adeò paruo, debili & inæquali, vt vix percipi digitis posset, & iudicare ab Italico Medico huius aeris & constitutionis imperito quiuisset, supra diem vnum atq; alterum, vix eum superuicturum. Ego etiam ab huius pulsus paruitate admonitus, ægrotum monui, ne temerè se de lecto præcipitaret, quòd facilis ac subitus de eo descensus animi deliquium ei minaretur: etsi nihil minus inter decumbendum ager cogitaret. Expertus tamen idipsum bis terúe est, cùm fortè alui exonerandæ causa surgere ager cogeretur. Cuius causa postea ad omnia obsequentiorem eum habuimus.

Est etiam, vti supra in vniuersali huius morbi enarratione ostendimus, animi deliquium familiare huius mali accidens, quod à vaporum exhalatione fieri puto, qui ab interna hac putrefactione soluuntur & sursum ad cor & eius capsulam exhalant. Vt etiam pathognomonicum scelerybis signũ censeri illud debeat, si in morbo fiat, à quo decumbentes parùm infestentur, aut reliquæ facultates minus imminutæ & debilitatæ, ac mediocriter officium suum facere videantur. Monet tamen hic pulsus, vt cauti simus, & facilè ægrotantis vitam non præcipitemus, eius de loco ad locum translatione. Quòd facili momento aliquando contingat, in animi deliquium tales incidere, ex quo quandoq; propter morbi vehementiam, &

virium

virium oppressionem, non facilè reuocantur. Vrina huius crassa & conturbata erat, multo crasso sedimento conspicua, super quo nihilominus reliqua & supereminens vrinæ substantia extabat crassa & conturbata. Os habebat perpetuò siccum, etsi modico potu esset contentus.

Idem hic hac ipsa febre ante annum laborauerat, cum grauissima totius corporis conuulsione, qua in gyrum quasi contrahebatur, ita vt actum de eius vita omnes adstantes arbitrarentur, & nos ipsi putassemus, nisi ex conuulsionis remissione, ac manuum relaxatione, spem vitæ supereſſe animaduertissemus. Quam etiam ab hoc morbo & hac putrefactione excitari, vrinæ iudicabant variæ, & maxima ex parte crasso & rubro sedimento conspicuæ, nec non faciles conuulsiui motus accessiones remissionesq; Quæ certo argumento ostendebant, aliunde ad caput causam hanc adferri, magisq; à vaporibus malignis sursum elatis, quàm ab humoribus malum hoc excitari ac commoueri. Conuulsionem totius corporis tremor præcedebat, quem hi motus subsequebantur.

Ego ab his de sceletyrbe & specifica hac putrefactione edoctus, à sanguinis missione, quòd propter continuum vini, ac coptosioris vini vsum, eo abundaret, curationis initium feci. A qua ceruicem & dorsi spinam conuenientibus oleis inungi curauimus, studioseque quoq; vt aluus quotidie solueretur, enitentes. Cum quibus & internam putrefactionem ijs, quæ ad hunc morbum & febrem faciunt medicamentis, eradicari

dicari ac tolli aduigilauimus. Atq; hac curationis via ac modo effectum DEI beneficio fuit, vt integræ valetudini in octo diebus æger restitueretur, nec vllas morbi reliquias sentiret, qui ante octiduum neruis, musculorumq; tendinibus, ad dimidij ferè brachij crassitiem contortis, totus quasi in spinam contrahebatur. Itaq; in genua procumbentes, vota & supplices pro eo preces DEO offerre decreueramus, nisi solui paroxysmum, & contractas relaxari manus, & ad pristinam formam eas redire vidissemus. Quo viso nihil (ita vti res postulabat) ad omnem diligentiam reliquum fecimus.

Sunt hi conuulsiui motus vt plurimùm cum his vrinis incidentes. Qui etiam visi aliquando sunt in alium morbum transire, sicut in morbi enarratione de Concionatoris filiolo ostendi. Sed & faciles accessionum inuasiones ac remissiones, absq; plenitudinis ac inanitionis causis, certum quoq; super hoc morbo testantur. Significant enim à vaporum, qui ab hac putrefactione eleuantur, malitia ac virulentia eas procedere, sua natura ac proprietate neruos, neruosasq; partes infestantium. Cùm nulli morbo æquè atq; huic, propter malignam eius qualitatem id eueniat. Sicut multorum testimonio probari potest, qui varijs neruorum affectionibus ab hoc morbo tentati fuere, tremore scilicet, conuulsione, paralysi, & mixta ex vtraq; affectione, paralytica videlicet & conuulsiua, cuiusmodi passa puella annorum decem apud Hamburgenses est.

Cura-

Curatus autem hic æger ijs medicamentis est, quæ cum febre hunc morbum respiciunt. Nam quantumuis paruus his pulsus est, est tamen creber. Quapropter non solùm refrigerantibus caloremq; contemperantibus medicamentis, sed & tenui ac febrem extinguente potu opus est, quòd tales, etsi sæpe ab exterioribus non appareat, intus vrantur, quemadmodum etiam manifestum ex sequenti historia erit, quam huius & curationis causa hic subiungere volui.

Obseruatio LXIIII.

NObilis Groninganus nauium ordinum Frisiæ nomine præfectus, etiam cum huius morbi significatione febrem passus continuam est, cum pulsu mirè paruo, debili & inæquali, adeò, vt vix digitos ferire perciperetur: erat tamen iusto crebrior, & interualla quietum, quæ systolen subsequuntur, atq; diastolen præcedunt, vel inter vtrunq; arteriæ motum interueniunt, adeò exigua vel breuia habebat, vt vix à systole quies vlla obseruari potuerit. Vrina tenuis & aquea erat, cuiusmodi vrina Antuerpiani in simili febre occurrebat. Foris frigebat, nam manus ferè frigidæ erant, neq; reliquum corpus calere immodico calore sentiebatur. Interea sitis multa erat & infesta. Et calor intus adeò vrens, vt post modicam sitis repressionem, lingua maximis, & ad parui ferè digiti crassitiem, fissuris, et discinderetur. Quæ rursum (quod admiratione dignum) post largiorem tenuis cereuisiæ assumptionem, ita subitò coaluit, &

inter

inter se suis partibus concreuit, vt incantamenti similis res videretur. Quibus delirium accedebat, pessimo indicio hæc omnia adaugens. Quod tamen non continuum, sed momentaneum, & subinde intermittens erat.

In hoc morbum hunc pulsus maximè monstrabat, qui talis erat, qualem huic morbo familiarem eum esse, iam sæpe dixi, cuius morbi significatione vrina subscribebat tenuis & pallida, contraria febrilibus indicationibus, quas pulsus creber demonstrabat. Quam sic absq; grauibus venarum obstructionibus reddi curatio monstrauit, quæ ab ijs, quæ à nobis exhibita ei medicamenta fuere, subsecuta in quatuor aut quinq; plus minus diebus fuit. Debent autem in hoc casu & similibus, medicamenta scorbuto conducentia eligi, quæ temperatissima sunt, atq; quàm minimùm calefaciunt, quibus iungi ea debent, quæ cum moderato calore venas aperiunt, & humores crassiores concoquunt & incidunt, cuiusmodi sunt cuscuta, ceterach, adiantum, & huic morbo conueniens fumaria. Quibus ferè hic, & alter ille cuius præcedente historia mentionem fecimus, DEI beneficio à graui suo morbo restituti fuere, vt nullo alio medicamine fuerit opus.

Obseruatio LXV.

ADolescens qui cum auunculo suo Hamburgo Embdam commigrauerat, & isthic habitationis sedes fixerat, sub festum D. Iacobi, primùm aliquandiu

quandiu intermittente febre laborauerat, quæ tertio quóq; die tertianæ febris typo eum inuaserat. Cuius curationem diutius dum differebat, tandem in continuam & lentam quoq; febrem incidit, à qua nihil appetitus visus est imminui. Nam & cibi multum, & magno cum appetitu assumebat, à quo nihil corroborabatur, sed quotidie in peius proficiebat, viribus corporis magis magisq; collabentibus, vt tandem sponte de lecto sese eleuare miser non posset, & ne quidem ab alio adiutus. Quando ad inuisendum eum inuitabar, qui etiam tum delirare, & aliena loqui cœpit, variè caput concutiens, & hinc inde quadam quasi tremoris specie & conquassatione dimouens.

Cum quo pulsus paruus erat, debilis & inæqualis. Vrinæ variæ, aliquãdo claræ & pellucidæ, aliquando turbidæ, subinde rubræ, & mox rursum citrinæ, atq; frequenter crasso & rubicundo sedimento subsidentes. A quibus, vt & de neruorum imbecillitate ac affectione, de morbo edoctus, mixta curatione vsus sum, cùm scorbuto, tùm febri accommodata. Qua effectum DEI gratia fuit, vt cum morbi radice symptomata hæc grauia, tremor scilicet & delirium, euanescerent, adolescenti integræ rursum sanitati restituto, qui nunc laus DEO adhuc valet, integer viribus, & corpore ac mente sanus.

Obseruatio LXVI.

FAlsa pleuritidis specie, & grauissimo costarum dolore, ab hoc morbo laborauit Bastiani VVabbens,

bens, ciuis Embdani filia. Quæ ad doloris recursum (erat enim per interualla dolor hic recurrens) grauiter præ magnitudine eius exclamabat, & saltu se ad pedis altitudinem in lecto proijciebat, præ doloris vehementia, quò se verteret nescia. Vrinas interea turbidas reddebat & crassas, multo crasso sedimento subsidentes, sabulo maris persimili. Pulsus verò parum erat & inæqualis, talis qualis in hoc morbo esse solet.

Curata triduum ferè ab empirico fuit, priusquam nos ad illam vocaremur. Qui in opposito brachio bis venam secuit, & nescio quibus fomentis latus, sed nulla doloris mitigatione, aut curationis successu, fouit. Et quia ficca tussi simul laboraret, qua nihil rejiciebat, ab eodem derelicta & habita pro desperata fuit. Quando quorundam consilio & intercessione, & ipsius quoq; Empirici suasu ego vocatus, vt dixi, fui. Qui statim primo pulsus contactu, & manus ad arteriam applicatione, doloris causam & morbi speciem atq; eius à pleuritide differentiam, obuio indicio cognoui. Quòd à pleuritide tàm vera quàm notha, manifesta differentia hunc dolorem distingueret, præter tam dictum pulsum parum & inæqualem febris ac tussis species. Nam quam patiebatur ficca tussis, à capitis ad fauces destillatione procedebat, & febris lenta erat, absq; multa vel siti vel calore coniuncta. Quapropter de morbo ab his certus, ægrotantem bono animo esse, & de salute benè sperare iussi. Sed quia biduum aluus steterat, à clysteris iniectione curationem auspicari placuit. Estq; porrò ea in sex

diebus nobis ijs medicamentis perfecta & absoluta, quæ ex proprietate hunc morbum curare, & præterea lentam febrem extinguere dixi.

Eadem hac affectione toto dimidio ferè, quà costæ extenduntur, latere, Itali quoq; coniunx correpta fuit, adeò graui & molesta, vt ne momentum temporis vno in loco perseueraret, & variè in omnem formam corporis positum mutaret. Huic absq; febre (quantum ad sensus) & citra tussim hoc aduenit, etsi doloris proprietate valde ad pleuritidem alluderet. Curata quoq; ijsdem ferè medicamentis est, præterquam quòd præter intrinsecus exhibita, topicis etiam ex lauri baccis, seminibus flatus carminantibus milio & sale, lineis sacculis interbastatis, vteremur, quæ loco & lateri affecto vnà applicaremus. Quamuis, quantum obseruari à nobis potuit, internis magis, quàm externis, iuuari visa sit.

Simile costarum malum ab hoc morbo, filiolus Domini Duysterhopij patritij Luneburgensis sensit, quem etiam, vti prædictam Bastiani filiam & per interualla morbus hic seu dolor corripuit, sæpe quinquagesies in vna hora, & interdiu magis, quàm noctu. Noctes enim sæpe quietas habuit. hic pluribus hebdomadis magno parentum dolore, ab hoc malo diu exuatus fuit, & a nulla re melius habuit, quã à theriaca. Nondum enim tunc satis ab hoc symptomate nobis hic morbus cognitus erat. Pulsus illi quoq; paruus erat, & vrinæ variæ, quæ faciles haberent mutationes.

Iisdem

Iisdem hisce, & similibus doloribus infinitos alios ab hoc morbo infestari vidi, & nuper ex lateris quoq; dolore, pleuritidis imagine, nepotem meum ex fratre. Sed multò plures aliarum partium dolor corripit, quem alij circa brachium, alij circa maxillas, alij circa scapulas, nec non ceruicem, coxendicem & genua, ac intermedia quorundam musculorum spacia, experiuntur, & sæpe noctu, quàm interdiu vehementius, aliquando etiam interdiu magis, nullo certo discrimine. Quem plerunq; pulsus prodit paruus & inæqualis, certissimo suo indicio ab hoc morbo eum proficisci conuincens, vt propterea diutius his inhærere nihil sit necesse. Neq; possunt omnium, qui ab his doloribus laborarunt, exempla hoc breui opusculo comprehendi & recitari.

Obseruatio LXVII.

AB hoc ipso morbo scorbuto, præter continuam ac lentam febrem, ex accidenti, longa & molesta tenuis sputi ab ore defluxione & continua aquei ac crudi humoris reiectione, complures tùm viri tùm fœminæ laborarunt; perinde ferè affecti, atq; affici ij solent, quorum corpora argento viuo inunguntur, nisi quòd citra oris exulcerationem id ijs, qui ab hoc morbo afficiuntur, contingat.

Inprimis autem diuexata sic ab hoc morbo illa fuit, quæ longiore huius morbi mora extenuata, ab alio morbo cum hoc incidente, faucium exulcerationes experta est, à qua ante nostram curationem,

maxima vuulæ seu gurgulionis pars consumpta erat, vt per nares, quoties loqueretur, sonus exiret. Cuius curationem hic morbus remoratus est, cùm alioqui chirurgum expertum haberet, & de faucium exulceratione rectè iudicantem, & in curatione illius dextrè quoq; procedentem, sed nullo euentu effectuq; propter huius morbi commixtionem, qui impedimento fuit, quò minus faucium vlcuscula curarentur, vt idcirco in gurgulionis discrimen illa veniret.

Spuebat autem hæc modò salsum, modò insipidum, modò tenue & spumosum. Vrinas in initio, & tum etiam cùm ad eam venirem, reddidit crassas, rubras & subfuscas, quæ postea ab acceptis medicamentis ad hunc morbum pertinentibus, multis crassis & furfuraceis sedimentis subsiderunt, insigniter rubentibus, etsi absq; siti, aut vllo bibendi desiderio & molesto caloris sensu esset, non contemnendo huius morbi, sicut antea dixi, argumento. Curata itaq; postea à me est ijs, quæ huic morbo conueniunt, medicamentis. Etsi diuturnior hæc curatio fuerit, cùm propter morbi diuturnitatem, tùm propter insignem eius extenuationem, quam à lento calore patiebatur, & fumis ab hac putrefactione ad cor ascendentibus, deniq; & propter vteri conceptum, quem gestabat.

Interea verò dum hæc fierent, suffumigijs ad fauces vsi ex pillulis cinnabaris fumus, quæ faucium malum aliquo modo mitigabant, & ne serperet, coercebant, ad solidam eius curationem, & ligni decoctum, eiusq; exhibitionem, vt primùm licuit, festinantes.

nantes. Quibus, laus DEO, rursum integræ valetudini hæc restituta est, nisi quòd amissæ vuulæ partes, eo gradu, quo inuenimus, subsliterint. Quippe quæ semel amissæ, restitui rursum non possunt, nisi ab eo, qui omnia ex nihilo creauit. Suasimus tamen non semel, vt, quod factum esse ab alijs scimus, exulcerato palato, & foramini perforato aptari operculum, & exiguam laminam ex auro puro curaret, quod foramen illud clauderet, & ascendentem spiritum ad nares transire prohiberet.

Intelleximus ab alijs diuturniore auri mora, & ad palatum adhæsione, ab istiusmodi exulceratione integrè quendam curatum fuisse, palati foramine auri vi & proprietate clauso. Cuius rei fides penes authorem sit. At foraminis obturatione vocem iuuari debere rationi consentaneum est, & experientiæ comprobatum. Est tamen hoc remedij auxilijq; genus nescio qua ægrotantis oscitantia hactenus omissum.

Obseruatio LXVIII.

QVæ eadē hac sputatione, sub idem tempus laborabat, fœmina venusta & pulchra, mala empirici curatione, acrium medicaminum, & hunc morbum non respectantium vsu & exhibitione, in sanguinis sputum, ex aperta pectoris vena incidit. Vnde subitò suffocata post triduum ab eius eruptione fuit. Quo tempore ad inuisendam eam ab amicis & marito inuitatus, cùm de omnibus, quæ præcessissent, symptomatibus & signis inquirerem, intellexi toto ferè

morbi tempore, vrinam ægrotantem subfuscam & nigram reddidisse, & varijs anxietatibus subinde eam infestatam fuisse, atq; nullo tàm morbo, quàm languore eam correptam fuisse, præterea menses totum biennium plus minus substitisse, cùm annum ageret supra quadragesimum secundum. Atq; ab eo tempore paulatim ad ingressum eam tardiorem factam esse, & omnium ferè membrorũ inusitatum languorem sentire cœpisse, qui paucis incremẽtis ita tandem accreuisset, vt sedens sponte amplius sese erigere non posset, nisi ab alio adiuuaretur, cùm alioquin alacris prius & vegeta, ac boni habitus fœmina fuisset.

Ipsa quoq; ægra duriori ac crassiori victui aliquandiu præter consuetudinẽ se indulsisse fatebatur, fortè quò hac ratione plus filiabus, quas plurimas alebat, comparceret, parùm vtili parsimoniæ via ac modo. Nam qui sic suum genium defraudando, res suas amplificare student, sæpe suorum fraude id experiuntur, dum præmatura morte præripti, alijs locum concedunt, liberalius, vt fit, viuendi, & res alienas atq; antea nullo suo labore partas et acquisitas, consumendi. Quemadmodum etiam huius posteritati, post inductam nouercam contigit. Quare discant parentes rebus suis à DEO sibi concessis honestè, & ad sanitatem vti ac frui. Neq; iudicij errore in parte quæstus ac lucri reputent, quod summum subinde dispendium est.

Cæterum vt ad rem reuertar, ab his facilè hic morbus agnosci potuisset & debuisset, si in exercitatum

circa

circa hunc morbum medicum illa incidisset. Fuerat quidem in morbi initio medico vsa docto, & in veteri medicina exercitato, sed qui ad topicos harum regionum morbos parùm attenderet, atq; methodicæ veterum curationi cuiusuis generis morbos includeret, & includendos putaret. Quo factum, vt longiore curationis huius tractatione, nihil ille quoq; proficeret, Sed cum mihi, post sanguinis eruptionem, curatio commendaretur, & de continua hac sputi fluxione, qua per totum morbum laborauerat, admonerer: postquam de reliquis symptomatibus, & ijs quæ per morbum aduenerant, edoctus ab amicis essem, de sputi qualitate ægrotantem interrogaui, & vt quàm modestissimè responderet admonui. Nam ab intensiori voce, ne sanguinis eruptio exasperaretur, metui.

Respondit autem paucis ægra, sputum quod reiecerat, modò insipidum, modò fœtidum, modò subsalsum fuisse, semper autem aqueum & viscosum apparuisse. Sed suffocata hæc, vt dixi, subita & repentina sanguinis eruptione est, intra fauces conclusi, & ad interiora regurgitantis.

Simili sputatione etiam ab hoc morbo Senatoris filia, cum vrinis quoq; crassis, turbidis & subnigris laborauit. Cui eadem curatio profuit, quæ præcedente hanc historiâ explicata nobis fuit. Ab hac ipsa sputatione, specificam huius morbi putrefactionem comitante, quidam laborabat nobilitate clarus, qui etiam idem malum cum vrinis nigris & subfuscis passus est, & pulsu adeò paruo & debili, vt vix

digitis perciperetur. Vixerat hic quoq; in perpetuis crapulis, & ex ferculorum, non optimorum semper varietate, multos crudos congesserat humores, prauos & corruptos, qui hac putrefactione accensi, perpetua exhalatione os & linguam perfundebant, crassa, aquea & viscosa.

Quam etiam hodie quidam apud nos senex experitur sexagenarius vel septuagenarius, cum omnimoda neruorum neruosiq; generis debilitate ac resolutione, paulatim magis magisq; vires & incrementum capiente. Huic quoq; pulsus valde paruus est, sed appetitus constans. In his curationibus, vt ad febriculam & scorbutum, sic ad fluxionem hanc, maximè si salsa fuerit, attendere oportet, ne à nimium acribus illa exasperetur, & irritetur. Quos autem ab hac affectione laborare vidi, ijs cum scorbuto, vel ab eo, hoc malum coniunctum, profectumq; fuisse, pulsus & vrina ostenderunt. Præterea quòd cum lento morbo, vel potius sine manifesto morbo sic affecti, cum totius corporis languore, id paterentur. Atq; hoc symptomate quoq; hic morbus cum Gallico morbo colludit, in quo æquè atq; in hoc morbo, nonnulli ab eo affecti sputare, ab interna, & propria Gallico morbo putrefactione, solent. A quo tamen scorbutum facilè pulsus & vrina discernunt, ne quid de reliquis, quæ cum vtroq; incidunt, symptomatibus dicam.

Obseruatio LXIX.

Consti-

Constituueram vna atq; altera obseruatione, de scorbuti maculis, hunc libellum claudere. Sed propter paucas puras paginas quæ supererant, has sequentes historias hîc inserere volui, ne vacuæ eæ relinquerentur, & quòd doctrinam habituræ hæ essent, non infrugiferam, neq; planè inutilem. Puerpera quæ Embdæ in horti platea (vt vocant) decumbebat, in initio duobus paroxysmis tertianæ febris typo ludẽtibus, correpta fuit, cum multo vomitu, & frequentibus alui deiectionibus, et ab ijs continua. In qua præter vomitus conatus, dictas deiectiones, ac ventris tormina grauissima, tantas experta anxietates est, quantas nemo alius. Non obstante, quòd sæpe in naturali die quinquagesies aluus ei fuerit soluta. Quod nullo quantum ad sensus, factum est morbi leuamine, aut anxietatum imminutione. Nam illud quoque huic morbo familiare ac proprium est, vt sæpe nullis deiectionibus ac vomitibus ille cedat, & magis morbi huius indicio ac pathognomonico signo hæc fiant, quàm naturæ crisi, aut materiæ morbi per has deiectiones expurgatione.

Idem etiam huic miseræ fœminæ aduenit. Quæ nihil obstantibus hisce deiectionibus, quæ multæ & frequentes fuerunt, tantas nihilominus per interualla anxietates ad præcordia infestantes, à fumis crassis, quod puto, ab huius materiæ putrefactione, ad diaphragma ascendentibus, sensit, vt sæpe manibus complicatis, suspiria sine voce, quam edere nesciebat, & præ angustia impediebatur, ad DEVM eleuaret, &

oculis planè contortis, & veluti ad mortem dispositis, Fato statim functura videretur. Sæpe etiam in animi deliquium supra dimidij horæ spacium incidit. In quo quod admiratione dignum, multò maior semper ac fortior pulsus erat, magisq; digitum feriens, quàm reliquo morbi tempore, aut in deliquij recessu. Qui alioqui, sicut in hoc morbo esse solet, per reliquum morbi decursum, paruus & inæqualis erat, excepto deliquij (vt dixi) tempore, in quo talem propter necessitatem, & vrgentem mali causam eum extitisse iudico.

Accidit autem atiquoties nobis præsentibus, vel superuenientibus, deliquium hoc ijs, quæ ad hunc morbum faciunt, medicamentis, ad duas, tres vel quatuor plus minus horas discuti & impediri, cùm maximè instare, & præ foribus esse, atq; ingruere velle illud videremus. Post quod tempus superata medicaminis operatione & effectu, eâdem, qua prius vehementia, hæc anxietas & linquendi necessitas redijt. Ita vt huius rei causa, propter morbi instantiam & magnitudinem, sæpius quotidie medicamentum hoc ægrotanti propinare fuerit necesse, aliquando scilicet octies & nouies, & vt plurimùm quinquies ac sexies. Sitiebat multùm & bibebat sæpius, sed non magnos haustus.

Labia & lingua quibusdam fissuris diuellebantur ab acrimonia vaporum, ab hac putrefactione ascendentium. Qui visi in quibusdam adeò acres sunt, vt non solùm hæc tenera corpuscula & partes, sed

etiam

etiam cutem eos exulcerare ac perforare, exulceratione ſicca compertum ſit, ſicut antea id oſtendimus, & hoc ipſo die ex quadam, quæ diutius ab hoc morbo conuulſiuo motu laborauit, didicimus: in qua hi motus conuulſiui, in vtriuſq; lateris exulcerationem ac perforationem tranſierunt, quæ ſponte aliquando coaleſcit & clauditur, & rurſum ſponte erumpit, abſq; multa puris ac ſaniei collectione: vt hinc veriſimile ſit, magis ab acribus ſpiritibus vaporibuſq; id fieri & aduenire, quàm ab humorum vitio & collectione.

Diximus antea pluribus flatibus vaporibuſq; plærunq; hanc materiam refertam eſſe, ſicut ex pluribus huius morbi ſymptomatibus cognoſci poteſt. Si quando ſopitis ſymptomatibus, & deuicto quaſi morbo, propter faſtidium, quo erga medicamenta ægrota afficiebatur, paucis diebus medicaminum vſum intermitteremus, ſtatim eadem vehementia morbus inſurrexit, qua prius, & cum ſimilibus atq; æquè infeſtis accidentibus. Vrina in initio, & ferè toto morbi tempore tenuis & pallida erat, ſed ſub finem morbi, pauco craſſo ſedimento albo & grauiſubſidebat. Duravit autem curatio hebdomadas ſex plus minus. Semper ab his medicamentis manifeſta leuamina ei adferri, etiam ij iudicare poterant, & manifeſtò videre, qui ægrotanti adſtabant, & inſeruiebant. Nunc laus DEO viuit fœmina elegans, pia & honeſta, quam diu ſuis DEVS ſuperſtitem eſſe ſinat. Amen.

Obſerua-

Obseruatio LXX.

QVæ diu conflictata cum hoc morbo fuerat vidua Goeckens per totam hyemem à festo Diui Martini ad festum ferè Maij decubuit, varijs ventris torminibus anxietatibusq; infestata. Quando ad curationem ab ipsa inuitatus, cùm de symptomatibus quæ passa per hyemem fuisset, diligentius eam examinarem, intellexi semper sub noctem, vel quoties dormire cuperet, mirabiliter totum corpus ei flatibus distensionibusq;, & ad caput eleuationibus, varias & molestas pulsationes causantibus, infestari. Quod à flatibus spiritibusq; illi eueniebat, in hac materia & putrefactione contentis, & à calore interno sub somnum (calore naturali ex collectione fortificato) resolutis agitatisq;. A quibus ita affecta & perturbata fuit, vt sæpe horam vnam aut alteram tota nocte non dormiret, frequenter etiam totas noctes insomnes ageret, multiplici & vario affectu, varijsq; doloribus & arteriarum pulsationibus, quæ satis explicari non possunt, diuexata.

Sub noctem ferè lentam febriculam sensit, & quandoq; leuem extremorum perfrigerationem, caloremq; momentaneum, nullo molesto aut sensibili calore infestum, nisi quòd leuiter sub noctem, os & labia ei exiccarentur, eiusq; causa subinde ad bibendum bis terue per noctem inuitaretur. Bibit autem vini parum, à quo nihilo magis accendebatur, aut nihilo plus incalescebat. Appetitus planè prostratus erat, & cibum difficulter ferebat. Nam ab eo vel modica

dica quantitate assumpto, omnia iam dicta exasperabantur. Vrina quantitate modica erat, præterea crassa, conturbata, & albidior, in qua (manente nihilominus superiore superficie conturbata) multa crudæ, crassa & albida materia subsidebat, rubris quibusdam, sed mollibus excrementis permixta.

A quibus renum hunc morbum esse medici, quibus ante me commissa hæc curatio fuit, magno errore iudicauerant, existimantes calculi hæc recrementa esse. Quæ quomodo à calculi recrementis differant, suprà ostendimus. Sed à renum passione facilè hunc morbum, reliqua quoq; symptomata, quæ cum hoc inciderunt, distinguebant, vt nimis crassus hic error fuerit viris, in praxi medica exercitatis. Pulsus paruus, varius ac inæqualis erat, & superior vrinæ substantia lenta & viscida, viscosa sua substantia matulæ parietibus adhærens. Cum his lentè quoq; corpus consumebatur, absq; vllo manifesto veteribus cognito morbo, aut morbi specie. Ipsa ægrota etiam magis languere, quàm ægrotare videbatur.

Huius curatio sub vernum tempus mihi commendata fuit. Quam ad hunc morbum cùm dirigeremus, in paucis diebus & hebdomadis DEI gratia præstitimus, vt erecta & læta domesticas operas rursum per otium, & cum oportunitate tractaret: sed à morbi reliquijs recidiuam passa, in varias sursum ac deorsum erumpentes reiectiones incidit, in quas potionum omissione eam incidisse iudicabam, etsi constanter id ægrota negaret. Itaq; cùm ab his dubius

bius aliquo modo redderer, communibus & aluum sistentibus medicamentis, vomitumq; cohibentibus per diem vnum & alterum curationem tentare volui, ex qua statim, pulsus arteriarum indicio, facilè intellexi, nullo curationis successu, sed multo errore eam nobis susceptam esse, & veram nostram accusationem esse, quam ægrotanti impegeram: Quapropter omissa hac, ad priorem curationem redij. A qua intra triduum hæc symptomata substituerunt, pulsu ad æqualitatem suam reuerso. Cœpitq; rursum de lecto ægra surgere, & per diem erecta in subsellijs sedere, & nonnihil domi intra priuatos parietes obambulare.

Sed vt de assumptione certior essem, volui præsens & quotidie potionem ipsemet ei exhibere. A qua aluus, vt dixi, stetit, & omnia in melius commutata fuere, vrinis quoq; laudabilem colorem demonstrantibus. Hæc hodie adhuc in eadem curatione propter morbi diuturnitatem procedit, maiores indies faciens progressus. Solent enim longorum morborum longæ curationes esse. Estq; alioqui huius morbi mos & natura, vt si quæ huius morbi reliquiæ perseuerauerint, eæ plærunq; recidiuum faciant, eodem, quo in alijs fieri morbis, morborũq; causis modo, etiã ex Hippocratis sententia videmus. Quæ vel ijsdem, vel alijs & differentibus, quam prius symptomatibus & signis, se prodere consueuit, vt in hac ipsa ægrota, in qua citra vomitus & deiectiones, primùm varijs torminibus, & arteriarum pulsationibus, præsentibus melan-

melancholiæ indicijs, se scorbutus præsentauerat, qui post recidiuam, vomitibus deiectionibusq; varijs se repræsentabat & ostendebat. Ita vt videri non admodum circa praxin medicam exercitatis alius morbus tunc potuisset, ab his signis & accidentibus, quàm antea, cum varijs exulcerationibus corpus ac ventrem proscinderet. Quem tamen vnum eundemq; esse pulsus prodebat, & præter pulsum curatio, certissimo argumento confirmans, quod ratio ex prædictis indicijs colligebat.

Obseruatio LXXI.

CAecus & senex, firmam à natiuitate sua corporis constitutionem consecutus, perpetuo crassiori victui indulserat. Correptus ab hoc morbo circa annum ætatis suæ sexagesimum, adeò deformi ac tetro tumore purpureo ac nigro (natura prævalente & ad extrema morbi causam expellente) crura defœdata ostendit, vt nemo delicatior citra horrorem ea aspicere posset. Cum quo, ad pleniorem huius morbi demonstrationem, visæ vrinæ quas reddidit, cum similibus subsidentijs & excrementis sunt, crassæ, rubræ & subfuscæ. Idq; absq; vlla vel siti vel bibendi desiderio. Curatus autem maxima ex parte lactis ac vini rubri vsu est. Hoc tumoris genere etiam fœmina ad porticum Hamburgensem, & alij laborarunt. Estq; propter eius frequentiam mulierculis nostris hodie, tonsoribusq;

notum

notum. Vt propterea diutius ijs immorari non sit necesse. Quapropter vnica, quæ hanc subsequitur historia, de hoc tumoris ac macularum, quæ cum hoc morbo incidunt genere contenti, præsentem libellum claudemus.

Obseruatio LXXI.

DIuini verbi apud Gallos minister senex septuagenarius, ex aluo strictiore in hunc morbum incidit. Nam cùm aliàs decies, & nonnunquam duodecies aluus solui illi per diem consueuisset, eaq; consuetudo aliquandiu intermisisset, & solito strictior aluus stetisset, (habet enim hic morbus, alijs aluum laxiorem, & contrà alijs strictiorem quòd faciat) ecce pluribus maculis nigris & purpureis crura ei defœdantur, gingiuis mollescentibus, & à dentibus abscedentibus.

Hunc sic affectum duo eius conterranei Medici Gallici visitabant, viri perhumani & docti. Quibus ascitus collega curationis, à Domino Antonio Cheuallerio Hebraicæ linguæ Professore, viro optimo & doctissimo, ac nostri amantissimo fui. Postquam aliquandiu curationem hanc priores Medici, nullo valetudinis commodo, ob morbi ignorantiam tractassent: vtpote qui ijs in locis nigro cygno rarior est & penè inauditus, atq; mihi statim agnitus ex nigris & purpureis maculis fuit, quas in cruribus demonstrabat, nec non laxis ac mollescentibus gingiuis. Si-

uis. Siquidem his signis apud nos etiam lippis & tonsoribus hic morbus cognitus est.

Quare ilico vt morbum cognoui, iussi ægrotum bono animo esse, & de valetudine bene sperare. Promisi quoq; cum Medicis suis prima occasione hac de re me collocuturum. Qui, ad lectum eius adhuc nobis sedentibus, & pijs colloquijs tempus extrahentibus, præter ægroti expectationem, superuenerunt. Quibus de more cum assurgerem, post salutationem & porrectas vtriq; in amicitiæ signum manus, rursum simul ad ægroti lectum consedimus, de morbo eiusq; causa inter nos collaturi.

De quo cum prius orationem auspicaretur, cui primum commendata curatio fuerat, adeò docte & eleganter de eo disseruit, vt nihil quod desideraremus superesset, nisi quòd morbum non satis de nomine cognosceret, & propterea de specifica hac putrefactione sanguinis, quò ad curationem, non satis (quod bona eius pace dixerim) esset instructus. Ideoq; de eo interrogatus, non habuit quod responderet. Sed cùm diutius hîc hæreret, subieci eum vernaculum ac patrium morbum apud meos conterraneos esse, atq; illum eum esse morbum, quem sub sceletyrbe ac stomacace Plinius, & sub scorbuto nuper celeberrimus nostri temporis Medicus, Ioannes VVeierus descripsisset.

Quo audito statim consenserunt, læti de morbi, quem nunquam viderant, cognitione. Quòd ijs in terris rarus hic morbus sit, & perpaucis ibi visus. Sed qui hac temporum iniuria, hodie latè pomœria sua

 disten-

diffendit, ad ignotas etiam regiones peruolans, vt ante annos centum plus minus morbus gallicus. Qui etiam ante ista tempora suo circulo inclusus, nostris terris plane ignotus erat, sicut ante hæc tempora Galliæ & Germaniæ sceleteyrbe. Qui etiam nostro tempore grassari in Anglia cœpit, maximè circa maritima loca, & etiam Londini. Paucis quoq; Medicis etiam nunc ibi notus, sicut ex oculari nostra inspectione, cùm ijs in locis, & Londini, frequentissimo Angliæ Emporio, praxim faceremus, non semel cognouimus, & hodie quotidie ex nautis discimus, qui mercimonia Anglorum huc ad nos aduehunt.

Missio itaq; ad vncias tres ex sinistro brachio sanguine, exhibita illi ad hunc morbum remedia sunt, aluo ad consuetudinem rursum reducta. Quibus iterũ pristinæ valetudini hic restitutus fuit, qui doctissimi ac pijssimi viri Domini Cheuallerij iudicio, certæ morti destinatus erat. Fuerat hic semper Domini Cheuallerij testimonio, fidelis verbi Minister, & modestus, cui (vt solet sæpe pijs) non satis ex sententia forte omnia euenere. Qui nunc haud dubiè præmium consecutus est, quod tum venabatur, brabium dico, quod fidelibus vineæ suæ operarijs DEVS promittit. Sicut credibile propter ætatem eius grandæuam est, qua tum premebatur, & interuententes ab eo tempore annos, qui nunc octodecim plus minus sunt. Vt inde dubium non sit, eum in cœlestia loca sursum receptum esse.

Quò nos quoq; post hanc vitam perducat benignus & mul-

& multùm misericors DEVS per Christum nobis reconciliatus, vt certum nunc in omnibus nostris aduersitatibus ad eum accessum habeamus, & patrem eum appellare possimus. Cui soli cum Filio & Spiritu sancto laus & gloria, Amen.

De maculis hisce ac gingiuarum putrefactione, quibus cuilibet ex plebe hodie hic morbus cognitus est, nihil opus pluribus exemplis est. De cæteris symptomatibus & signis, non nisi exercitatis notis, cùm ad declarationem eorum, quæ scripta nobis in vniuersali huius morbi enarratione sunt, duas fere vbiq; obseruationes ad minus adscripserimus, ex quibus non difficile de similibus iudicium lectori, quod opinor, erit, restat nunc libellum hunc claudamus, ne quam rei vtilitas necessitasq; ac frequens huius in vita vsus gratiam ei conciliarit, sua prolixitate perdat & amittat.

FINIS.

Soli DEO gloria.

CATALOGVS OBSERVATIONVM.

1. Lenta febri cum difficultate respirationis & Morphæa alba laborans. Pag. 164
2. Virgo dolore sinistri Hypochondrij per interualla cum nausea, ructibus. 166
3. Sinistri Hypochondrij dolore obtuso crurum, cum cordis palpitatione & siti. 168
4. Lassitudo omnium membrorum cum obtuso dolore crurum. 169
5. Mulier sese erigere volens, animi deliquio corripitur. 171
6. Dolor ad orificium ventriculi, cum anxietate & spirandi difficultate. 173
7. Angustia & respirationis difficultas. 175
8. Ventriculi dolor & anxietas, in gibbosa. 176
9. Anxietates per interualla redeuntes. 176
10. Dolores vagi, cum difficultate respirationis. 179
11. Dolores dentium, scapularum, genu, manuum, laryngis in puerpera. 180
12. Dolores discurrentes in valde obæsa. 181
13. Dolor coxendicis & retractio cruris. 182
14. Dolor cruris à coxendice ad talum vsq;, Item brachij. 183
15. Ischyaticus dolor claudum fecit. 184
16. Tali retractio versus poplitem. 185
17. Dolor in genu, & leuis resolutio cruris, subinde recurrens. 186
18. Tumor abdominis & crurum. 187
19. Ventris & crurum tumor hydropicus. 193

Hydro-

20. Hydropis ſpecies, Bauchwaſſer. Bougwater 96
21. Reſolutio pedis poſt curam ligni. 201
22. Reſolutio cruris poſt febrem. 213
23. Vtriuſq; cruris reſolutio. 202
24. Paralyſis vtriuſq; cruris 205
25. In adoleſcente vtraq; crura reſoluta ibid.
26. Paralyſis per vices & interualla infeſtans 206
27. Paralyſis alterius lateris 208
28. Paralyſis cum febri 209
29. Hiſtoriæ trium paralyticorum 210
30. Dolores ventris, crurum & abdominis lancinantes 212
31. Lancinationes crurum per interualla. Item brachij 213
32. Vomitus & diarrhœa cum infenſis ventris doloribus & febri 215
33. Puerpera cum dolore pungente lateris, tuſſi & cruenta expuitione 217
34. Atrophia ſcorbutica 219
35. Maraſmus & conſumptio ſimilis cum vomitu & reſolutione brachiorum 221
36. Animi deliquium, laſſitudo cum vlceribus crurum 225
37. Deiectiones variæ, difficultas reſpirationis, febris, animi deliquium 227
38. Torſiones ventris, & deiectiones frequentes, cũ reſpirationis difficultate, & animi deliquio 228
39. Epilepſia ſcorbutica 231
40. Dolores varij capitis, temporum, maxillæ, dentium, muſculorum 233
41. Suræ dolor, œſophagi dolor: pleuritici dolores, digitorum extremorum 235
42. Reſolutio digitorum 237
43. Vomitus moleſtus, ſubinde recurrens, cum continuo languore 238

44. Vomitus continuus, sed inani conatu parum educens, cum suppressione mensium & hæmorrhoidum dolore obtuso cruris 240
45. Frequens vomendi conatus 242
46. Atrophia, crurum debilitas & difficultas respirandi 243
47. Febris cum deiectione virium, exasperata post purgans exhibitum 245
48. Tumor Erysipelatodes, vagus in valde obæsa 247
49. Inflammatio pedum cum horripilatione & animi defectione 250
50. Resolutio omnium membrorum cum contractione surarum 252
51. Febris tertiana cum scorbuto 254
52. Febris scorbutica cum caro 259
53. Tertiana scorbutica cum Epileptica conuulsione 262
54. Tertiana similis, quam post conuulsionem secutus fuit somnus profundus 263
55. Tertiana cum scorbuto in octuagenario 265
56. Quartana complicata cum scorbuto, & spirandi difficultas 266
57. Quotidiana scorbutica 271
58. Quotidiana scorbutica cum torminibus inteſtinorum & vomitu continuo, inani tamen 276
59. Febris mixtæ cum torminibus inteſtinorum in diuersis 278
60. Scorbutus alludens ad naturam peſtis propter tumores 287
61. Peſtis metus propter tumorem in inguine 291
62. Anxietates, dolores ventriculi, cum fluxu cholerico & febri 294
63. Febris scorbutica cum animi deliquio. 297
64. Febris continua scorbutica. 300

Con-

65. Continua scorbutica. 301
66. Pleuritis scorbutica. 302
67. Sputi defluxus continui in scorbuticis 305
68. Sanguinis sputum & subsecuta mors. 307
69. Tertiana scorbutica, vomitus, deiectiones alui, tormina ventris, anxietates, & quidem in puerpera cum varijs symptomatibus. 311
70. Tormina ventris, dolores & tumores flatuosi, cum febricula nocturna & vigilijs. 314
71. Crura maculosa tumore magno defœdata 317
72. Maculæ scorbuticæ. 318.

RERVM

RERVM ET LOCORVM MEMORABILIVM INDEX.

Numerus Paginam indicat.

A

Absinthium 79
Aeris mutatio mutat medicamenta in scorbut. 14
Acetosæ succus in feb. scorb. 47
Aegineta 82
Alui deiectio frequens 227
Alui fluxus, & constipatio 20
differt à Lienteria ibid.
differt à diarrhœa ibid.
Alui fluxus causæ 20
Alui fluxus dysentericus 21
Anxietas in febribus pestilentialibus scorbuticis 131
Animi deliquium 297
Angustia pectoris 175
Apoplexia scorbutica 88
Apoplexiæ scorbuticæ curatio 90
Apodicticum signum scorbuti 24. 168
Aq. crudæ nocumentum 58
Aq. corruptarum vsus Plinio causa scorbuti 81
Aquæ crudæ neruis nocent 157
Aquæ crudæ sublimes 109
Arthritis in paralysin scorbuticam degenerat. 82
Arthritis scorbutica irritatur purgantibus 97
Arthritis est cum leni resolutione 98
Arthritidis scorbuticæ curatio 99. 100. 101
Arthritis post difficilem respirationem 179
Atrophia scorbutica 114
Atrophiæ illius signa 116
Atrophiæ curatio 117. 118 119
Atrophia quomodo differat ab hectica 118. 119

B.

Bilis inducit vigilias 143

C.

Capræ vt nutriendæ pro lacte in atrophia 122
Causa conuulsionis materialis est vaporosa 92
Cancrosum vlcus 123. 124
eius curatio 126. 127
Carus à scorbuto 88
Caro flaccescit 170
Carus scorbutic. 143
Cari causa, ibid. curatio 145
Caro obnoxij 144
Carus effectus est scorbuti, non efficiens causa 144
Cereuisiæ vtiles in scorbuto 27

Cochle-

Cochleariæ succus 13
Cholericus fluxus in scorb. 16
Colicus dolor in scorbuto 62
Colica in paralysin 82
Colliquationis signa in vrinis 217
Cibum sumere sine corroboratione 302
Clysteres in conuulsione scorb. 49
Crurum dolores varij, obtusi, nocturni 56
Cordis palpitatio 168
Crurum dolor triennium durans. 65
Crurum dolor, vbi pendent, maior 67
Crurum paralysis scorbut. 68
Conuulsio à vaporibus 71
Contractionis scorb. cura 78
Conuulsio paulatim siens 84
Conuulsio scorbutica est cum febre & sine feb. 85. 93
Conuulsio particul. 92
Conuulsionis causa ibid.
Conuulsionis causa mater. 93
Conuulsiones scorbuticæ fiunt per interualla 94
Conuulsionis curat. 49. 95 96
Coxendicis dolor varius 184

D.

Deliquium animi 137
Delirium in scorbuto 141
differt à comuni delirio 142
Dentium dolor 58
Dorsi dolor 59
Dolor recurrēs in pleu. 60. 61
Dolor medij lateris 61
Dolor & lancinatio ventris 62
Dolor ventris in duabus puerperis 64
Dol. remittentes & vagi 180
Dolor suræ quiescens quiescente pede 67
Digitorum extremorum dolores 237
Dolor in arthritide scorbutica est vagus 97
Dolor vagus in Erysipelate scorbutico 140
Dysenteria notha in scorb 21
Dysenteriæ scorbuticæ non conueniunt astringentia 22
Dolor in regione ventriculi sub finem diaphrag. 173
Dolor ventriculi degenerat in hydropem 174

E.

Epilepsia scorbutica 86
eius signa, differentiæ ibid. & 87
Epilepsia scorbutica semper est cum febri 86
Erigere se non possunt scorbutici 171
Erysipelas scorb. 138
eius causa ibid.
Erysipelas scorbuticum 138 & seq.
Excrementa alui in scorbuto varia 20. 227
Extenuatio corporis & lancinationes intestinorum 62
Exulcerationes tumorum vesicalium 199
Excrementa alui varia, alba, cineritia, viridia, rubra, crocea, herbacea 232

F.

Faucium exulceratio 201
Faciei color in scorbuticis 11
Faciei color bilioforum in scorbuto ibid.
Febres inordinatæ 30
interdum cum exiguo rigore 31
Febres intermittentes 36

Febris quartana in bimulo 37 38
Febrium intermittentium signa in scorbuto 40. 41. 42
Febris quotidiana scorbutica 42. 43
Febres continuæ scorbuticæ 50 earundem signa 51 curatio earundem 51. 52
Febris in pleuritide scorb. 62
Febris semper adest in paralysi scorbutica 76
Febres in inflammatione viscerum 116
Febres in lienis inflam. ibid.
Febris pestilens cum tum. 129
Febris pestilentis signa 130
Febres interm. in scorb. 145
Febris tertiana scorbutica differt à communi 254
Febris quartanæ scorb. pulsus 266
Feb. per annum durantes 269
Fernelij oleum 102. 145
Fimus vaccin. in gangræna 137
Frumentum crudum deuoratum 227
Flatus in scorbuto 7
Fluxus alui inhibitus per astringentia 295
Furfuracea in vrinis 217

G.

Gallicus morbus cum scorbuto conuenit 58. 134
Gangræna digitorũ pedis 123
Gangræna scorbutica duodecim septimanas durauit 125
Gangræna communis triduo interficit ibid.
Gangrænæ curatio 127. 128
Gingiuarum laxitas 4
Gingiuarum laxitas non semper à scorbuto 6
Gingiuarum tumor ibid.
Gradus morborum non mutant speciem 10
Guaiaci & cochleariæ comparatio 169

H.

Hæmorrh. hydropi vtiles 108
Hepatis & Lienis tumores in hydrope respiciendi 107
Hemiplegiæ scorbuticæ & veræ differentia 75. 76
Horrip post prandium 166
Historiæ Epilepticorum 87
Historiæ Apoplectic. 88, 89
Historiæ conuulsionis scorb. 93 eius curationis 95
Historia curatæ arthritidis 99
Historia hyd. scorb. 101 103
Historia hyd. veficalis 113
Historia atrophiæ scorb. 118
Historia gangrænæ pedis 123 gangrænæ communis 125
Historia tumoris Eleph. 126
Historia febris malignæ scorbuticæ 130
Historia febris Pestilentis scorbuticæ 132. 133
Historia penis exulcerati 158
Historia comitissæ quartana scorbutica laborantis 267
Historia scorbutici 144. 145
Historia ptyelismi 146. 147
Historia febrium cum sudore 151. 152
Historia puellæ iactatæ & inquietæ 154
Hydrops scorbutica 103 eius generatio ibid. & 104
Hydrops scorbutica irritatur purgantibus 197
Hydrops scorbutica non relinquit foueas in tumoribus pedum 105
Hydropici difficulter respirã 150

Hydropis scorbuticæ curatio 107. 108
Hydrops vesicalis, signa, curatio 110. 111. 112
Hydrops sequitur difficultatem respirationis 175
Hydrops scorbutica 190 191. 192
Hydrops cum vrina ruffa veteribus lethalis 194

I.

Iactatio & inquietudo omniũ membrorum 152
Iactationis signa & curatio 155

L.

Lac & lacticinia iuuant scorbuticos an vomitu 18
Lac in febribus scorb. 45
Lancinationes intestinorũ 62
Lac caprinum in atrophia scorb. 122
Lancinantis doloris causa 257
Languor sine causa 149
Languoris signa, curatio ibid.
Languere magis quam ægrotare est scorbuticum 170
Lentes paluſtres 200
Lienis tumor in hydrope 107
Lienis inflammatio 116
Lommius 116

M.

Mœstitia est causa antecedens scorbuti 2
Maculæ purpureæ 5. 317 318
Maculæ liuidæ circa talos 124
Malleolorum dolor 168
Manuum & digitorum dolores 56
Marcellus Virgilius 126
Matthæus de gradibus 250
Medicamenta scorb. 27. 47
Medicamenta tortiora in scorbut. 80
Medicamenta in atrophia scorbutica 120
Medicamentum ex sero & succo cochleariæ 216
Melancholicus humor causa pestis 133
Melancholia pessimus humor 133
Memoriæ læsio in scorbuto 140 eius signa 142
Mesaraicarum obstructiones 248
Montanus 295
Morbi rari si occurrant & confusis signis, quid agendum 208
Motu manente perit sensus & è contra in scorbutica paralysi 72
Melancholicus humor contrahit neruos, non resoluit 77

N.

Nasturtij aquatici succus 49
Nasturtij aq. vires in caro 145
Neruosi generis debilitas 81
Nuchæ dolores tensiui in scorbuto. 57

O.

Oculi caligantes in scorbuto 8
Oedematosus tumor pedum in muliere obasa 247
Orificium ventriculi dolet 12
Orthopnœa scorbutica 175

P.

Partium corporis dolor 57

Para-

Paralysis scorbutica inueterata difficulter curatur 78
Paralysis crurum 68
Paralysis veræ & scorbuticæ differentia 68. 69
Paralysis scorbutica superuenit arthriticis 72
Paralysis scorbut. paulatim fit ibid.
Paralysis vnius lateris 73
Paralysis linguæ ibid.
Paralysis scorbutica semper est cum febre 76
Paralysis scorb. curatio 78
Paralysis medicamentum 79
Paralysis scorbuticæ causa 207
Penis exulceratio 157
Perlarum liquor in vlceribus 201
Peritonæum ruptum in scorbuto 63
Pilulajum vsus in scorb. 19
Plantarum pedis punctiones 12. 68
Plantarum pedis titillatio 202
Præcordiorum angustia 8
Pleuritis scorbutica 60 302. 303
Pulsus in febribus scorbuticis 44
Pulsus in pleuritide scorbutica 60
Pulsus in colica scorbutica 53 54
Pulsus in crurum doloribus 65
Pulsus in atrophia scorbutica 117
Pulsus in pestilentibus scorbuticis 129
Pulsus in Erysipelate scor. 138
Pulsus in continuis febribus 55
Pulsus in vlceribus cancrosis 129
Pulsus in languore scorbutico 149
Pulsus vermicularis repens 221
Pulsus paruus & inæqualis in difficili respiratione 11
Purgantia exasperant malum scorbuticum 12. 19
Purgantia in hydrope scorb. 13. 14
Purgationes difficiles qa non est præparata materia 166
Pustula citrina in digito pedis 124
Putredinis locus in scorbuticis continuis 50
Putredo humoris melancholici, alia in peste, alia in scorbuto 133
Ptyalismus 146

R.

Reipublicæ felicitas in bono medico & obstetrice bona 60
Respiratio difficilis 7
Respirationis intermissio 8
Respiratio difficilis in scorbuto quid differat ab alijs 9. 10
Respiratio scorbutica difficilis degenerat in hydropem 14
Renum ardor 59
Rondeletij sententia 77

S.

Sanguis inspissatur 152
Sanguis grumosus conspicuus in venis brachij 232

Sangui-

Sanguinis missio in scorbuto 80
Sanguis plumbeus & viridis indicium scorbuti 50
Scorbutus est morbus ἐπιχώριος 2
Scorbuti nomen ab effectu 2 278
Scorbuti causæ externæ & internæ 2. 3
Scorbuti forma & putredo peculiaris 2
Scorbuti signum apodicticum 168
Seri caprini vsus 216
Signum apodicticum scorbuti 168
Signa Erysipelatis scorbutici 138. 139
Signa distinguentia febres scorbuticas ab alijs 40. 41
Signa febrium scorbuticarum continuarum & communium 50. 51
Signa pleuritidis scorbuticæ 61
Signa Paralyseos scorbuticæ 68
Signa conuulsionis 94
Signa Arthritidis scorbuticæ 97
Signa Hydropis scorbuticæ 105. 106
Signa hydropis vesicalis 112
Signa Atrophiæ scorbuticæ 115
Signa febris pestilentis scorbuticæ 132
Signa ptyalismi 148
Signa languoris in scorbuto 150
Signa caloris volatici in scorbuto 151
Somnolentia in omni scorbuto 144
Sopor profundus scorbuticus 143
Surarum dolor 11. 66
Sudor in atrophia præcedit 151
Sudoris curatio 152
Suffocationis periculum in anxietate 182
Sputi defluxus continuus 146 eius curatio 148. 306 307
Stupor euanescens in scorbutica paralysi 70
Stuporis leuis causa ibid.
Symptomatum diuersitas vnde fiat in scorbuto 4
Scorbuticorum vrinæ turbidæ sicut in inflammationibus viscerum 13
Scorbutica remedia 18. 27. 47

T.

Tabes dorsalis 116
Tali retractio 68
Testis dolor in lienis inflammatione 116
Thorax non læditur in scorb. 7
Theriaca in febribus pestilentibus 129
Tumor extremorum 156
Tubercula cruda & varicosa 66
Tubercula in medio musculi 67
Tumores gallici & scorbutici differunt 67
Tumor in hydrope scorbutica est durior 106
Tumor cancrosus & elephanticus 126
Tumores in febri pestil. 130 134. 136
Tumores pestilentes curati 163

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0353
DFG

ei 136. 137. 292
Tumores vesicales in ventre, dorso 196. 197

V.

Varenn Vuieri 99
Valeriolæ vnguentū fidum 78
Ventriculi dolor vno haustu curatus in comitissa 63
Ventris dolor in puerperis 64
Venæ sectio in hydrope 109
Ventriculi & orificij eius dolor 180
Ventriculi orificium dolet in difficili respiratione 7. 12
Vena perperam secta in pleuritide scorbutica 60
Victus crassior causa scorb. 2
Victus ratio in febribus scorbuticis 45
Vinum Gallicum rubrum in atrophia scorb. 122
Vinum rubrum cum cochleariæ succo 183
Vomitus cum difficili respiratione in scorb. 15. 16
Vomitus sine causa est signum scorbuti 16
Vomitus scorbuticorum curatur lacte 18
Vomitus recurrentes 223
Vlcus cancrosum 126. 127
Vlcera penis 157. 158
Vlcera sicca 158
Vlcerum siccorū curatio 159
Vniuersalia opus habent exemplis 163
Vomitus in febribus pestilentibus 132
Vrina in pleuritide 60
Vrina in lancinatione ventris 63
Vrinæ subita mutatio est indicium scorbuti 66
Vrinæ mutatio frequēs plures signat affectus 167. 177
Vrinæ in Arthritide 100
Vrinæ in hydrope vesicali 112
Vrinæ in atrophia scorb. 117
Vrinæ in languore scorbutico 149
Vrina in conuulsione cum feb. 94
Vrinæ mutantur in scorbuto post purgationes 12. 167
Vrinæ mutantur vsu diapleres 14
Vrina crassæ & rubra in vomitu 17
Vrina & pulsus signa præcipua in scorbuto 23
Vrinæ citrinæ 23
Vrinæ tenues & intensæ rubedinis sine siti 23
Vrina crassæ & rubræ 24
Vrina alba crassa & turbida cum siti & oris siccit. 24. 25
Vrinæ nigræ, crassæ, turbidæ 25
Vrina crassa turbida alba sine febri 32
Vrinæ tenuæ pallidæ 33
Vrinæ ex tenuibus & spiceis, crassæ & rubræ rectam curationem indicant 35
Vrina in paralysi vnius lateris 73. 76
Vrina in cancrosis vlcerib. 125
Vrina in Epilepsia 81
Vrina nihil indicat in conuulsione sine febri 9
Vrinæ in febribus pestilentibus 129. 132
Vrina in delirio 42
Vrinæ superficies pinguis 213
Vrinæ nigræ 294

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0354
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0358
DFG

ſcorbutus præſentaueras,
bus deiectionibuſq; varijs
lebat. Ita vt videri non
nedicam exercitatis alius
his ſignis & accidentibus,
exulcerationibus corpus
Quem tamen vnum eun-
, & præter pulſum cura-
onfirmans, quod ratio ex

LXXI.

nam à natiuitate ſua cor-
onſecutus, perpetuo craſ-
reptus ab hoc morbo circa
ſimum, adeò deformi ac
igro (natura præualente
uſam expellente) crura
no delicatior citra horro-
Cum quo, ad pleniorem
nem, viſæ vrinæ quas
bſidentijs & excrementis
ſubfuſcæ. Idq; abſq; vlla
o. Curatus autem maxi-
rubri vſu eſt. Hoc tumo-
ad porticum Hambur-
unt. Eſtq; propter eius
oſtris hodie, tonſoribuſq;
notum

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 084
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn796631115/phys_0359
DFG